

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 K
26 M

DE
PRIVILEGIIS
RELIGIOSORVM
&non
RELIGIOSORVM
Libri Tres;



Domus Prof. Rom. S. J.

DE PRIVILEGIIS

Religioſorum, & non Religioſorum

LIBRI TRES

Ad modum Compendij, compendioſè diſpoſiti, & ordinati.

Iudicibus, Procuratoribus, & Aduocatis Opus non inutile.

Pro Religioſis vero, Confratribus, & alijs moraliter neceſſarium.

Elaboratum ab Ad.R.P.D.ARCHANGELO Romano Ord. S.BENEDICTI S.T.P.in Cong.Cœleſtinorum PRIORE, & in Eccl. S MARIEA ad Vrſum de Vrbe Parocho.



ROMAE Typis Dominici Marciani 1643.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO P. D.

D. FABRITIO CAMPANÆ

DE LVCERIA

Abbati Generali, ceterisq; S. Diffinitorij Patribus, & Abbatibus Cong. Cœlestinorum.

Seruus humilissimus D. Archangelus Rom.



NTER sapientes, Excellētiss. Medicorum Princeps, Hippocrates: illam tam veram, sicut & dignam protulit sententiam, quàm in dies & verissimam nos; & talem experti sunt, qui præcesserunt nos. Ars longa, vita breuis, occasio preceps, &c. Hinc Doctores quamplurimi, & etiam Sancti ad compilandum se tradiderunt, & qui Patrum & Patriarcarum leges; qui canones; qui alias sciētias & artes. Horum exempla secutus ego, ad ea, quæ Religiosis personis nondum vtilia, sed necessaria forè putaui; me compilanda tradidi; inter quæ, Priuilegia Religiosorum & nostra; Quæ certa, & secura, ea admisi, quæ non certa, & aliqualiter dubia prætermisi. Difficultates de ipsis Priuilegijs, cum earum resolutionibus, & iuxta etiam noua

decreta

decreta Summorum Pontificum, & Eminentiss. & RR. Cardinalium SS. Congregationũ nouo ordine, & bene cõmodo ad omnium,& precipuè DD. vestrarũ vtilitatẽ dispofui. Accipite ergo& hilari fronte RR. mi & pijssimi Patres hoc signũ deuotionis meæ erga dominationes vestras,& si quæ (iusta desiderium meum) vtilia inueneritis, gratias pro semper referam omnium bonorum datori, munificentiæ vestræ, & Patribus, qui mihi iter & viam prębuerunt: quorum huius laboris tota est virtus, atque laus.



AV-

AVCTOR AD LECTORES.



Voniam Religiosorũ Priuilegia sunt quasi infinita, & sunt facti; & vt dicunt Iurisperiti omniũ illorum, quæ sunt facti habere memoriam sit impossibile, hinc cupio vos benignos Lectores monitos, quod ego Religionum Priuilegijs visis, & consideratis, ea in hoc opere nostro posui, quæ sunt ampliora v.g. si vni Religioni cõcessũ sit ex Priuilegijs posse absoluere ab omnibus casibus etiã Episcopalibus, & alteri Religioni à casibus supradictis, & à censuris; secundũ Priuilegiũ pono vt amplius, & continens quicquid continetur in primo. Si vni Religioni sit concessum posse absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, & alteri insuper etiam posse dispensare circa irregularitatem, & commutare vota; hoc pono, vt amplius, prætermisso præcedenti, cum præcedens contineatur in sequenti. Vnde si aliquarum Religionum Priuilegia prætermittuntur, rogo ne conquerantur. Hoc enim ex industria factum est, vt confusio in tanta multitudi-

ne

ne tollatur & commodum, quod intendimus; habeatur. & quoniã nimia locorum, & Doctorum citatio, tedium, & confusionem parere solet; ideo in hoc opere nostro, vt in pluribus obseruauimus, vltra tres Doctores non citare, & interdum duobus tantummodo contenti fuimus, imò & vno; quando & ratione Sanctitatis, & precellentis doctrinæ sit maximæ auctoritatis; & quia sub nomine Priuilegij multa repperiuntur in Auctoribus, qui ante nos de Priuilegijs scripsere, quæ fuerunt viuæ vocis oracula, & non concessa per Bullas, vel si per Bullas concessa, in Bullario non repperiuntur, & forsam typis non sunt mandata. Quia sic non possunt ostendi, nec probari; ideo prætermisimus, tanquam ad nihilum deseruientia, vltra quod quando etiam possent probari, & ostendi; cum iam à pluribus Summis Pontificibus sint reuocata, & cassata; similiter ad nihilum prodessent, & nobis augeretur labor calami, & legentibus tedium, & confusio cerebri.

AP-

APPROBATIO OPERIS.

DE mandato Reuerendiss. Patris D. Dominici à Tarento totius Congregationis Cœlestinorum Ordninis S. Bene, dicti Abbatis Geueralis. Ego subsignatus librum ab Admodum Reu. Patre D. Archangelo Romauo eiusdem Congregationis Theologo elaboratum, qui de Priuilegijs inscribitur, accurratè perlegij; atque in eo nihil, quod fidei ortodoxæ, aut summorum Pontificum statutis, religiosisque moribus repugnet deprehendi; quinimmò magna claritate, ac facilitate, nec non maturitate refertum exprimento comprobaui.

Qua propter vt publicis mandetur typis existimo. In quorum fidem Romæ, &c. in nostro Collegio Cœlestino Vrbano die 6. mensis Maij. 1641.

D. Hieronymus de Litio Abbas, & Lector Collegij Vrbani Cœlestini.

Alij

Qui huiusmodi opus de Priuilegijs maturè,& consideratè reuiderunt,& de quorũ sapienti consilio, ab auctore nonnulla sublata sunt, atque clarius declarata, in Alma Vrbe fuerunt infrascripti, videlicet:

Admodum R. P. Nicolaus Baldelli è Societate Iesu.

Ad R. P. Magister Lezana Carmelitanus.

Ad R.P.M.Felix Visconti Augustinianus.

Ad R.P. Aegidius Lector Dominicanus.

Ad R. P. D. Theophilus Romanus.

Et Reuerendiss. P. DD. Lelius Marinus iam in Congregatione Abbas Generalis.



LI-

LICENTIA GENERALIS.

Visa supradicta approbatione facultatē facimus; vt hic liber de Priuilegijs inscriptus, à R. P. D. Archangelo Romano nostræ Congregationis Theologo concinnatus, in lucem ædatur, si ijs, ad quos spectat, bene visum fuerit. In quorum fidem has, nostra manu firmas, solito sigillo signauimus. Dat. in Vener. Nostra Abbatia S. Spiritus de Murrone propè Sulmonem die 14. Maij 1641.

D. Dominicus Abbas Generalis Cœlestinorum.

D. Hilarius Rom. Secr.

Im-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. S. Pal. Apost.

I. B. Alter. Episc. Cam. Vices.



Imprimatur.

F. Reginaldus Lucarinus Sac. Pal. Apost. Mag.

S.

S. ROTA ROMANA quanti facienda sit.

SAepè in Priuilegijs fit mentio S.R.R. ideo sciendum (vt notauimus ex P. Sygismundo in de electione, & potestate Prælatorũ,) quod in supremo Rotæ Auditorio, viri non vulgari scientia, singularibusque virtutibus conspicui a Summis Pontificibus selecti admittuntur, & admissi, disertissimo modo vtuntur in audiendis, examinandis, & decidendis causis, ita vt præcipuus ille in vniuerso Orbe sit locus, in quo tum benè, tum ritè, tum celeriter, ac rectè cognoscuntur causæ, ac terminantur.

Decisiones RR. habentur pro decisionibus magistralibus, nisi secundum eas reperiatur sæpius iudicatum, adeo quod sit introductus stilus, vel consuetudo. In curia tamen Romana faciunt ius ad instar stili, vt habetur in principio de extrauagantibus Ioan. 22.

Neque aliquos moueat, interdum decisiones semel factas ab eadem Rota reuocari, & vt quandoque dicitur Rota rotet, quasi suas resolutiones non firmet. Hoc enim benignitati, ac sapientiæ DD. Auditorum, non autem malo vertendum est. Nam quemadmodum exoptant omnes solam veritatem assequi, ita post factas resolutiones secundum ea, quæ


pro-

proposita fuerunt libenter partes iterum audiunt, & si quæ perperam proposita aut intellecta comperiunt, ea ad veritatem reducere satagunt, neque vt nimium suarum decisionum amatores abstinato eas animo tueri nituntur.

Sapientum proprietas.

Auctor.

Quia hoc opus hominis, & defectibilis hominis est, ideo non obstante diligentia plusquam medioeri, & impressoris & nostra; aliqui defectus de quibusdam virgulis, & aliquibus litteris irrepserunt, quos tamen qui viderint si docti, & sapientes fuerint) compati poterunt lassitudini aliquando litteras componentium, & caritatiuè corrigere.



SVM.

SVMMARIVM OPERIS.

CVm de Priuilegijs à nobis tractetur vt ordinatè procedatur, & veritas appareat, qua benè, & iustè eis vti valeamus.

Primò, & principaliter notatur quid significet hoc nomen Priuilegium, & si alijs nominibus appelletur.

Secundò, quid sit, & quotuplex sit Priuilegium.

Tertiò, Priuilegiorum clausulæ declarantur, & quæ expresſè ſolent apponi; & quæ ſubintelliguntur in ipſis Priuilegijs. Quæ expreſsè, ſcilicet ex motu proprio; ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis; quatenus ſunt in vſu; ad inſtar; perindè, æque principaliter; ac ſi primò; cum abſolutione à cenſuris; de iure, & de facto; non obſtante quacunque lege, appellatione remota; ſupplentes omnem defectum; non obſtantibus quibuſcnnque Priuilegijs; non obſtantibus conſuetudinibus; non obſtantibus quibuſuis derogatoriarum derogatorijs; contradictores, &c. Iudignationem omnipotentis Dei, &c.

Quartò, ponuntur dubia, & ſecundum

do,

doctrinam Theologorum, & Canonistarum, & iuxta Decisiones Sacræ Rotæ Romanæ; breuiter, & faciliter resoluuntur.

Quinto, & vltimo, notantur quædam potiora, & ampliora, quæ vsque ad Santiss. D. Vrbanum VIII. inclusiue, à Summis Pontificibus Religiosis concessa fueruut Priuilegia.

Et si facile sit inuentis addere, inuenire tamen, & inuenta recte disponere; hoc difficilimum est.

Nostra huius operis scripta submittimus pro omni tempore censuris Eminentissimorum, & Reuerendissimorum S.R.E. Cardinalium, & Sacrarum Congregationum.


DE

DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORVM

LIBER PRIMVS.



Quid significet hoc nomen Priuilegium. Cap. I.



IRCA nomen, in primis oportet aduertere Priuilegium duo includere, & significare, scilicet ius ipsum, seu gratiam concessam priuilegiato; & mandatum ipsum, vel instrumentum, quo Princeps concedit alicui specialem gratiam, quod interdum vocatur rescriptum, Indultum, Bulla, Indulgentia in canonicis Priuilegijs, vt optime notarũt inter alios, ex antiquioribus Abbas, qui lucerna iuris fuit appellatus; & ex modernis, Bonacina tom. 2. de priuil. & Suarez lib. 8. c. 1. In præsenti propriè agimus de Priuilegio ratione iuris, & gratiæ; quia est veluti substantia Priuilegij,

Rescriptum quid sibi velit.

& simul etiam de toto Priuilegio. Et aduertēdum, quod rescriptum dicitur, quasi responsū scriptum, vndè ita sunt appellata Imperatorū responsa ad dubia iuris: & est generale nomen, & sub se cōtinet Priuilegium scriptum, & multa alia, quæ Priuilegia non sunt. Vndè duplex solet distingui rescriptum, scilicet iustitiæ, & gratiæ. Iustitiæ est, quod datur ad explicandum ius, vel ad lites, seu ad dicendū ius inter partes, & hoc rescriptum manifestè differt à Priuilegio, quia rescriptum iustitiæ datur secundum ius commune, vel ad interpretationem eius, vel ad debitam executionē: Priuilegium autem datur potius contra, vel vltra ius. Sciendum tamen, quod ad rationem Priuilegij non necessariò postulatur, vt aliquid contra ius concedat, sed simpliciter, vt aliquid speciale concedat, veluti est Indulgentia, licentia, & gratia. Vndè vt verè dicatur Priuilegiū, sat est, quod tribuat clariùs, & faciliùs, quod tribuit ius cōe ex Io. de la Cruz in de Priuil. c. 1. & talia sunt in Religionibus multa Priuilegia, quæ sunt meræ gratiæ Pontificū, & nō sunt cōtraria iuri cōi, sed aliquid vltra illud addūt, vt sūt Priuilegia absoluēdi, dispensandi, &c. Suar. lib. 8. c. 1. Rescripta Papæ, vel Principis sunt mādata, quæ ad instantiam alicuius, vel aliquorum, seu proprio motu, vel ex suggestione petentium, vel ad consul-

Ad rationē Priuilegij q̄d requiratur.

sultationē facit, vel cū aliquid alicui, vel aliquibus mādatur, seu indulgetur. Talia enim ius faciunt non generale, sed speciale in negotijs, & inter personas, inter quas promulgata sūt, & ita sūt Priuilegia. Sciri tamen debet, quod rescriptum etiam quod gratiosum, per quod alteri præiudicium infertur non valet, nisi de primo mentionem faciat, decis. 12. in nouis, de re iudicata. Rescriptum concedit in Ecclesiasticis Papa, & in secularibus Imperator.

Rescripta quod ius faciant.

Et quando non valeāt.

Quid sit, & quotuplex sit Priuilegium. Cap.II.

PRiuilegium est priuata lex, vel priuatum ius indultum à Principe contra, vel vltra ius commune. Dicitur lex priuata, quia non facit ius quo ad omnes, sed tantùm quo ad illum, cui concessum est Priuilegium. Et est duplex, vt habetur in Summa Siluestri, Magistri iam Sacri Palatij tom.2.de Priuil.n.1. scilicet aliud diuinum, vel concessum à Deo, vt Gregorio orare pro Traiano, & Martino pro eo, qui se necauerat; & Oseæ accedere ad vxorem fornicariam; & generaliter omnis inspiratio Spiritus sancti contra ius cōmune, quam qui habet, non est quo ad hoc sub lege communi. Aduerte tamen hic Lector, quod

prudentia semper receptura est, & maximè cum exorbitat à communibus, vt fuit in Sampsone ad se occidendū, in Apollonia, Tecla, &c. Nam multum habet periculi si nō examinetur summa cum diligentia. Debet enim esse pudica, pacifica, & sapientum Fratrum approbata iudicio, vt habetur ex S. Bernardo, & Abbate Moise a Cardinali Turrecremata citatis in suo Prologo super Reuelationes S. Brigittæ. Aliud est Priuilegium humanum, Regium, scilicet Imperiale, & Pontificium. Humanum verò est etiā duplex, scilicet, personale, & reale. Personale est illud, quod alicui, vel aliquibus personis in singulari conceditur, certis & proprijs nominibus expressis. Reale est, quod Ecclesiæ, dignitati, Ciuitati, loco, vel aliquibus personis ratione loci, seu alicuius rei est concessum. Et hæc est differentia inter Priuilegium personale, quod conceditur immediatè personæ ratione sui, & reale. Quod si Priuilegium sit reale, & res, cui concessum est Priuilegium transeat ad aliun dominum, ad eundem etiam transit. Priuilegium verò personale corruit extincta persona, cui concessum fuit Priuilegiū, ita etiā nouiter Bonacina, & Miranda in de Priuil. Circa personam aduertendum est, quandā esse personam propriam, vt est vnus homo; aliam fictam, quæ misticum etiam solet appellari, vt est Ciuitas,

Suar. l. 8. c. 8.

Auctor intendit dumtaxat ꝑficua saluti animarum.

Priuilegium reale, & personale in quo differāt.

Quotuplex sit persona.

Religio, Collegium, Monasterium, Vniuersitas, & similia. Si Priuilegium fiat directè personæ fictæ, id satis est, vt Priuilegium sit reale, quia perpetuum est, quia talis persona ficta perpetua est. Suar. lib. 8. c. 3. Si Priuilegium, postquã dixit cõcedimus Petro, vel tibi, addat & hæredibus tuis, vel successoribus tuis, &c. Priuilegium non est personale; Idem etiam si concessioni personæ factæ addatur in perpetuũ, seu vt perpetuo valeat, tunc Priuilegium est reale; vt notat Fel. in c. quoniam, Abbas cum Anchar. in reg. Priuil. q. 1. cõs. 333. Contra naturã enim Priuilegij personalis est, vt sit perpetuum; ideò fit Priuilegium reale. Quia licet nominetur persona, non nominatur, vt subiectum Priuilegij, hoc enim tunc est genus ipsum, seu familia, sed nominatur, vt priuata persona incipiens vti Priuilegio, seu tanquam fundamentum Priuilegij. Idem è contrario erit, si Priuilegij concessio immediatè dirigatur ad rem, vel dignitatem, statim verò addatur causa indicans intentionem dirigi ad personam, vt si sub nomine Episcopi talis Ciuitatis concedatur eidem facultas aliqua propter insignes labores, vel eminentiam scientiæ, &c. Priuilegium est personale, vt expressè notauit Panor. in cap. mãdata de præsumpt. Assignans pro regula, in Priuilegijs magis esse vtendum coniecturis, quam recurrendum ad expositionem

Quomodo cognoscatur Priuilegium esse reale.

Quomodo personale.

In Priuilegijs vtẽdum est coniecturis.

Priuilegia non trahi in exemplum, de quibus intelligatur.

nem nominis proprij, vel dignitatis. Illud, quod alicui gratiosè conceditur non debere ab alijs trahi in exemplũ tam de Priuilegio reali, quàm personali verum est, vt habet Io. Andreas, cum Suar. lib. 8. c. 4.

Priuilegium corporale purum, & cõiter corporale quodnã sit.

Item Priuilegiorum, quoddam est purè corporale, quoddam verò corporale communiter. Purum corporale dicitur, quod cõceditur corpori, idest Vniuersitati, vel Collegio, & quo solummodo communitas, & non singulares personæ se possunt iuuare. Corporale communiter est illud, quod Vniuersitati, seu Collegio alicui conceditur, ita tamen, quod quilibet singulariter de illa Vniuersitate, illo se potest iuuare, & etiã Vniuersitas ipsa. Eiusmodi sunt omnia Priuilegia cõcessa Ordinibus, & Religionibus, quæ sũt in Ecclesia, ita Miranda in de Priuil.

Item Priuilegiorum aliud est ob bonum commune, & immediatè, & proxime respicit bonum Communitatis, vt est Priuilegium Canonis, & fori, quo ius personis Ecclesiasticis conceditur ne possint conueniri ad Tribunal laicorum, aut percuti sub pœna excommunicationis ipso facto. Aliud, quod proximè, & immediatè respicit bonum priuatæ personæ, vt quãdo alicui particulari psonæ cõceditur, imò quando pluribus conceditur. Vndè patet, quod aliquando id, quod est per se malum, vel iure communi prohibitum, speciali modo in fauo-

rem

rem aliquarum personarum probibetur cum additione specialis pœnæ. Quæ lex, licet respectu delinquẽtium pœnalis sit; respectu eorum, quorum tuitio intenditur Priuilegium est. Tale est supradictũ Priuilegium Canonis; si quis suadente, Suar. lib. 8. c. 1.

Idem potest esse Priuilegium. & pœna.

Quando Priuilegium est priuatum, ille in cuius fauorem concessum est, potest ei renunciare, at persona priuata nõ potest cedere Priuilegio in fauorem communis boni concesso, vt docet Bonac. in de Priuilegijs.

Priuilegio quando priuatus possit renunciare.

Item Priuilegiorum aliud est fauorabile, aliud odiosum. Fauorabile dicitur, quod Priuilegiato confert fauorem, & commodum, nullique affert incõmodum, quia ita vni prodest, vt memini noceat: vt est Priuilegiũ audiendi Missam tempore Interdicti, aut seruiliter laborandi in die festo, aut vescendi carnibus tẽpore Quadragesimæ. Hic incidenter scias, quod pensio dicitur fauorabilis, ex quo reseruatur pro sustentatione Cardinalium licet pensio sit onus, quæ vti vulnerans ius commune; odiosa dicitur. Quamuis enim de iure possint imponi pensiones: tamen regula est, quod beneficia sine diminutione conferantur, & quando concurrit odium, & fauor; tota dispositio dicitur fauorabilis, decis. 240. par. 1. in nouissimis diuersorum Auditorum. Odiosum dicitur illud, quod vni cõfert fauorem, & alteri præiudiciũ,

Priuilegium fauorabile & odiosum quodnã sit.

ut est Priuilegium, quo quis eximitur à solutione decimarum, Suar. lib. 8. de Priuil. cap. 6. Pater verò, & Auctor dignissimus operis de Iure Abbatum disput. 16. quæst. 5. tom. 1. Fauorabile Priuilegium dicit esse illud, quod communi legi non aduersatur nec ulli, ut dictum est præiudicium infert. Odiosum verò, quod licet fauorẽ priuilegiato præbeat, est nihilominus contra ius commune, vel in tertij præiudicium. Priuilegium inferens præiudicium tertiæ personæ, contra ius, quod habet iam acquisitum, odiosum est, ita ut restringi debeat, quo ad fieri potest. Quia non est mens Principis auferre alteri ius suum, nisi id expressè declaret. Quod adeò verum est, ut licet Priuilegium motu proprio sit concessum; extendendum non sit ad priuandum alterum iure suo iã acquisito, Suar. lib. 8. de Priuil. c. 27 Et quia contingit non rarò, quod non sit voluntas Principis totum id concedere, quod verba præseferunt, etiam in proprietate sumpta; ideò, quando fuerit de hoc probabile præsumptum iuxta mentem concedentis restringendum est Priuilegium. Coniectura huius volũtatis potest esse nimirum, si necessaria sit restrictio ad vitandum aliquod absurdum, vel defectum in ipso Principe, aut nimiam imprudentiam contra cõmune bonum. Idem dicitur si deroget particulari statuto, iuxta reg. cap. 1.

Priuilegium odiosũ quare restringẽdum.

Coniectura vnde habeatur restringẽdi Priuilegiũ

de

de constit.in 6. Si repugnet consuetudini, nisi de illa expressam mentionem faciat. Idem denique erit de quocunque alio facto, vel iure priuato, quod præsumitur Princeps ignorare, Suar. qui multos citat lib.8. de Priuil.cap.24.

Item Priuilegium diuiditur in affirmatiuum, & negatiuum. Dicitur affirmatiuum, quod concedit facultatem agendi; negatiuum verò, quod dat licentiam aliquid omittendi, Suar. vt supra lib. 8. cap. 6.

Priuilegium affirmatiuũ, & negatiuũ quodnã sit.

In præsentiarum non erit nobis sermo de Priuilegijs concessis à Deo, sed de concessis ab hominibus nempè à Papa, Imperatore, Regibus, & Principibus, &c. De concessis à Papa, absolutè: de concessis ab alijs, incidenter.

De quibus Priuilegijs habeat tractari.

De Clausulis, quæ solent apponi in Priuilegijs, & primò.

De motu proprio.

Cap. III.

De hac clausula præcipuè queruntur duo, scilicet quam surreptionem tollat in Priuilegijs, & an includat negationem petitionis in eisdem Priuilegijs, quod vt melius intelligatur sciendum, quod surreptitium, vel obrepti-

Quid sit surreptitiũ, vel dicatur obreptitium.

reptitium dicitur quando res aliter ſe habet, quam fuit narratum Papæ deciſ.275. p. 1. in nouiſſimis. Item quod impetratio dicitur ſurreptitia, quando Papæ non narratur res, ſicuti eſt, vt deducitur ex deciſ.65. p.2. in nouiſſimis. Et quod gratia, vt non ſit ſurreptitia debet fieri mentio Priuilegiorum, & Coſtitutionum, quas Papa probabiliter ignorare poteſt, deciſ. 24. coram R. P. D. Motmanno 1633. Et quia falſitas cauſat errorem in mente Principis, & conſequenter facit gratiam inuoluntariam, vt in deciſ.222. in nouiſſimis, habetur quod falſitas cauſæ annullat gratiam, quamtumuis motu proprio conceſſam. Et idē ſub diuerſis verbis habetur in de Iure Abbatum tom.1. diſput.18.q.6. ibi enim dicitur, quod clauſula motu proprio tollit vitium ſurreptionis, niſi contingat in falſæ cauſæ expreſſione, vel ſit in tacenda inhabilitate perſonæ: vel præiudicet iuri tertij non ſolum in re, ſed etiam ad rem, ideſt de præſenti, & de futuro. Item motus proprius non tollit ius tertij, puta ſi beneficium ſpectat ad ius patronatus alicuius laici, de quo Papa ſi ſciuiſſet, nullatenus prouidiſſet, deciſ.7 de præben. in nouis, & deciſ.71. in antiquis de reſciptis, Decius in c.2. de reſcript. dicit, quod licet conceſſio fiat motu proprio, ſubintelligi clauſulam, Si preces veritati nitantur. Nam

Suar. c. 8. de priuil.

Motus proprius quãdo nõ tollat ſurreptione.

In motu proprio q. d. ſubintelligatur.

ex.

exprimens falsum, vel tacens verum in rescripto, si malitiosè; caret prorsus impetratis, vt habetur in cap. 20. Decretal. de rescript. Vndè quando aliqua concessio etiam motu proprio facta, supponit postulationem aliquam, & informationem impetrantis, quæ mouet animum Principis per modum informationis, licet non moueat per modum petitionis, tunc si informatio ita est diminuta in expressione veritatis, vt propterea moueat, & inducat voluntatem Principis, quam non induceret, si exprimeretur integra veritas, redditur concessio nulla, ob defectum consensus. Quod videtur sensisse Abbas c. quia circa de consanguin. & affinitat. Notanda est etiam necessario hæc alia distinctio, scilicet quod concessionis motu proprio quædam est sine vlla petitione, vel informatione præuia ex parte petentis, alia verò potest esse coniuncta cum illa, licet non sit principaliter ex illa. Quando concessio fit purè motu proprio, idest sine interuentu petitionis, aut informatione ex parte petentis, tunc ex parte eiusdem petentis nec taciturnitas veritatis, nec falsitas interuenire potest, quia ille nihil loquitur, nec vllo modo cooperatur, nisi accipiendo gratiam. Potest tamen in ipsamet narratione, quæ ex parte Principis fieri solet, vel taceri veritas, vel falsa causa proponi, & tunc in tali motu proprio, etiam si veritas taceatur de-

Quando cō-cessio fit nulla.

Concessio motu pprio quotupliciter fieri possit.

Quando taciturnitas veritatis tollat surreptionē, vel nō tollat

qua-

quacũque re, vel circũstãtia, quæ alias debeat necessario exprimi, quando gratia postulatur: tunc motus proprius omnem tollit surreptionẽ. Supponitur enim Princeps alias sufficienter informatus, gratiam liberaliter concedere. Et de huiusmodi taciturnitate loquũtur apertè iura. At verò si non solum taceatur veritas, sed etiam falsa causa exprimatur in rescripto, seu Priuilegio; tunc etiam si Priuilegium nullo modo sit petitum, sed acceptum; potest esse concessio nulla ex defectu voluntatis cõcedentis, quem defectũ ignorantia, seu error causaret. Ignorantia enim causat non voluntarium, eo quod nihil sit volitum, quin præcognitum. Et cap.1.de constit. in 6. Papa dicit se non reuocare tacitè per suam legem generalẽ ea, quæ ignorare præsumitur. Et non refert, quod falsitas illa non proueniat à postulante, seu recipiente gratiam, quia deceptio ipsa vndecunque proueniat, causat inuoluntarium, dummodo circumstantia non sit leuis, quæ scilicet non mutaret animum Principis, quia tũc non solum purgatur quando per taciturnitatem peccatur: sed etiam quando per falsitatẽ; vt fatetur Felin.cum Anchar. cons.132. citati à Suar.lib.8.de priuil.c.38.

Priuilegium quãdo sit ex motu pprio.

Priuilegium semper censetur motu proprio concessum, quãdo hoc in ipso exprimitur etiã si ad petitionẽ partis sit, vnde falsum est motũ pro-

proprium includere negationem petitionis, cũ possit esse simul cum illa, & sic concluditur à Iuristis Papam concedere motu proprio, etiã si impetrans petijt, quando non fuit motus sola petitione. Benè verum, vt concessio vere dicatur facta motu proprio, necessè est, vt excludat petitionem, vel omninò; vel saltem, vt principalem causam, ita Suar. lib. 8. de priuil. c. 12. Et sic patet responsio ad secundum quæsitum in principio huius 3. Cap.

De Clausula,

Ex certa scientia.

Cap. IV.

DE *huiusmodi clausula ex certa scientia, queruntur etiam duo, scilicet quid importet, & quid operetur. Ad primum dicitur, quod idem importat, quod de plenitudine potestatis, quia quando Papa actum gerit ex certa scientia, perinde est, ac si diceret, se velle facere ex plenitudine potestatis, si illa opus est in actu, qui geritur, idest de potestate absoluta, quasi dispositioni legum communium non subiecta, vt habetur ex Abbate c. Ad hoc sumus de rescript. & cap. cum inter de except. Ad secundum.*

cundum dicitur, quod ſupradicta clauſula rem minus validam reddit validam, & facit, quod nullus inferior, vel Ordinarius poteſt de validitate illius rei amplius cognoſcere, Abb. c. quæ de re iudicata. Et operatur quod ſi quis iuſtè non poſſidebat, incipiat iuſtè poſſidere, & habet vim nouæ conceſſionis, vt ex gloſſa Panorm. & Felin. præcipuè notat Suar. Et aduertendum, quod aliud eſt Priuilegium fuiſſe à principio falſum, ſubreptitium, aut alia ratione nullũ; aliud verò fuiſſe validum, & poſtea reuocatũ, nam prius Priuilegium non conceditur de nouo per confirmationem etiam ex certa ſciẽtia, niſi expreſsè dicatur non obſtante falſitate, aut ſurreptione; ita Rota tit. de confirmat. vtili, deciſ. 2. in nouis, Panor. c. cum iter dilectos de fide inſtrum. Et ratio eſt, quia Priuilegiũ falſum, vel ſurreptitium nunquam fuit conceſſum reuera. Et confirmatio eſt de Priuilegijs conceſſis. Priuilegium autem ſemel validum, verè fuit conceſſum, & ideò in illud cadere poteſt confirmatio, etiam ſi reuocatum fuit. Per confirmationem ex certa ſciẽtia, confirmãtur etiã quæ, ſunt abrogata, & per contrarium vſum caſſata, Rod. tom. 1. qq. regul. q. 9. art. 3.

Quã vim habeat confirmatio ex certa ſcientia.

In tertij graue præiudicium nihil operatur, licet in modico aliter ſe res habeat, nec etiam operatur in ijs, de quibus Princeps non præſumitur habuiſſe notitiam, & facta ſuper re litigioſa,

giosa, non habita mentione de letigio; peccat in surreptione, & non valet talis confirmatio, Abb. c. 1. de confirmat. vtil. vel inut. Est dictũ in tertij graue praiudicium, ad modũ statuti, quod si tendat in tertij præiudicium; præsumitur editũ ex mala informatione, decis. 50. p. 2. in nouiss. Et sic patet responsio ad dubia huius Capitis.

De Clausula,

De plenitudine potestatis.

Cap. V.

SVpradicta clausula de plenitudine potestatis tollit omnes defectus solẽnitatis, nõ prouenientes à natura, scilicet defectus commissos circa iuris solemnitatem. Secus si alius suberat defectus, puta, quia illegitimus, vel falsarius litterarum, vel quid simile, Abb. c. ex litteris, de fide instrum. Papa enim potest sententiam, etiam iniustam, & sine ordine iudiciario prolatam confirmare, supplendo ordinis positiui defectum: sed si sentẽtia deficit in iustitia naturali, non potest per Principem cõfirmari, seu per Papam, defectus suppleri, Abb. c. ea, quæ de sent. & re iudicata. In tertij verò præiudiciũ; nihil operatur.

De

De Clausula,

Quatenus sunt in vsu.

Cap. VI.

HViusmodi clausula in Priuilegiorum cõfirmationibus confirmat illa Priuilegia, quæ sunt in obseruantia, quamuis inualida, si adsit clausula, Ex certa scientia. Et hæc clausula apposita in Priuilegijs intelligitur respectu vsus generalis, non autem indiuidualis, ita ex Marta in declaratione huius clausulæ 125.

De Clausulis,

Ad instar, Perinde, & Pariformiter.

Cap. VII.

DE clausula, Ad instar, queruntur similiter duo, scilicet quid sibi velit, vel quare sic appelletur. Et an Priuilegium Ad instar reuocetur ammisso exemplari.

Ad primum dicitur, quod sic appellatur nimirum per similitudinem, vel equiparationẽ ad aliud alicui prius datum; Vnde vox ista

Ad

Ad instar Iurisperitorum aliqui volunt significare idem, quod ad similitudinē; alij, quod ad æqualitatem: alij dicunt vtranque habere significationem. Priuilegium Ad instar concedit omnem fauorem, & gratiam formaliter contētam in suo exemplari, & in eodem sensu, quo in exemplari continetur, & cum eadem extensione, vel restrictione, & non maiori; neque minori.

Quia hoc totum spectat ad propriam, & adequatam imitationem.

Dictio Perinde importat idem, quod per omnia quo ad tempus, & quo ad alias qualitates, decis. 51. p. 2. in nouissimis. De dictiore vel Clausula Perinde.

Aduertendum tamen, quod quædam Priuilegiorum formulæ non habent ad instar, sed periformiter, quod idē est, ex Suar. lib. 8. c. 16. vbi additur, quod & si Priuilegium ad instar non semper constituat aliquid verè tale, quale est suum exemplar, sed fictione iuris. Vnde dicebat Baldus ciuem ex Priuilegio non esse legitimum, & naturalem ciuē, sed instar eius: Tamen Priuilegium ad instar interdum verè, & propriè concedit quicquid aliud Priuilegium, quod est veluti exemplum suum; concedit. Et ita inducit similitudinem in Priuilegijs omninò propriam, & absque aliquo figmēto. Et notandum, quod formaliter per se loquendo, confirmato Priuilegio exemplari, non

Cõfirmato exẽplari. nõ confirmatur Priuilegium ad instar.

confirmatur Priuilegium ad instar, quia non fuit exemplum, vt confirmatum, sed tantum vt concessum, nec Priuilegium ad instar per se respicit futurum statum, sed illum, quem habet exemplar, quando aliud ad instar illius cõceditur. Vnde etiam è contrario, licet Priuilegium ad instar confirmetur, non redundabit confirmatio in exemplar, siue confirmatio sit ex certa scientia; siue in forma cõmuni. Quia ratio equæ in vtroq; procedit. An aucto exemplari per nouas concessiones; ad instar augeatur, & è conuerso; quidam negant, quia moraliter loquendo, qui concedit Priuilegium ad instar, de illo tantum cogitat, quod est alteri concessum, non de futuris. Et dicitur aliquid fieri ad imitationẽ eius, quod iam extitit, seu prius factum est, non eius, quod futurum est. Ergo ex vi particulæ, Ad instar, non potest fieri extensio, nisi exprimatur, vel saltem declaretur mentem concedentis esse, vt Priuilegiatus ad instar, semper, & omni tẽpore futuro sit æqualis in Priuilegijs alteri priuilegiato. Et hoc docuit Baldus l. omnia, & Panor. c. vlt. Ne Cler. vel Mon.

Ad secundum dicitur, quod abrogato, vel quomodolibet ammisso exemplari, non intelligitur reuocatum, aut admissum Priuilegium ad instar. Et ratio est clara. Quia Priuilegiũ ad instar in re ipsa est distinctum à suo exemplari,

plari, & ab illo non pendet in conseruari, & in rigore loquendo, Priuilegium, quod ponitur in exemplum, non est propria, & per se causa alterius, sed ponitur tantum ad determinandā significationem generalium verborum, quibus Priuilegium ad instar conceditur. Sic enim videmus multas res, vel ædificia fieri ad instar aliorum, quæ postea manent, licet exemplaria destruantur. Vnde quando alicui conceditur Priuilegium ad instar alterius, quamuis postea illud Priuilegium limitetur, vel restringatur: non censetur limitatum, aut restrictum respectu eius, qui Priuilegium ad instar alterius obtinuit.

Et finaliter sciendum, quod vbi mandatur aliquid fieri ad instar alterius, si illud instar reperiatur diuersum nō debet simpliciter capi medium, nec minimum, seu maximum, sed magis rationabile, & alteri minus præiudicās, ita Abb. c. cum olim, de consuet. Clausula ad Instar quomodo accipienda.

De Clausula,

Cum absolutione à censuris.

Cap. VIII.

CLausula, *Et cū absolutione à censuris, &c. consueuit apponi per Papam in impetra-*

tionibus beneficiorum, & alijs gratijs, quas cõcedit, quis potest etiam absenti, & non petenti facere: Hæc clausula non habet effectum, si quis per annum, & vltra steterit in excommunicatione. Quia tunc obstat Regulæ Cancellariæ de insordescente per annum, & habetur suspectus de hæresi, vt declarat Rota in decis. 150 par. 3. lib. 3 in nouiss. Hæc clausula tollit impedimentum prouueniens à censuris, vt docet, Nauarrus cons. 2 in fine, sed non iuuat, vt dictum est insordescentes per annum, in odium ipsius, qui videtur paruipendere censuras. Et per Sixtum V. statutum fuit, ne præstetur occasio censuras vilipescendi, & insordescendi in illis; ne generales absolutiones appositæ in litteris, suffragentur ijs, qui scienter excõmunicationis sententiam per quatuor menses sustinuerint. Talibus enim absolutio non prodest & litteræ sunt nullæ. Imò non prodest irregulari ob notoriam fornicationem, Nauar. in conf. 66 nu. 1. Quia nunquam Papa censetur super irregularitate dispensare, nisi expresse dicat. Et huiusmodi absolutio datur ad effectum præsentium, vt ad hunc effectum suspendantur.

De Clausula,

De iure, & de facto.

Cap. IX.

VIgore huius clausulæ tam arbiter, quàm arbitrator poterit procedere, & iudicare secundum veritatem, & conscientiam suam, reiectis apicibus iuris. Hæc clausula importat derogationem feriarum indictarum tantũ ob necessitatem hominum, sed quando compromissum est factum in arbitratorem, cum ista clausula, ipse quidem pronunciare poterit etiã in ferijs indictis in honorem Dei. Quoniam tanquam pacis mediator interuenire dicitur, Abb. c Quinta vallis, de iur. iur. & c finali, de ferijs, & c. cum dilectus, de arbitr. Priuilegium arbitratoris.

De Clausula,

Non obstante quacunque lege.

Cap. X.

SV pradicta clausula non corrigit legem specialem, nisi diceretur in lege generali, non

obstante quacunque lege, quæ in totum, vel in parte huic legi posset esse contraria, Abb. c. vt debitus, de appellat.

De Clausula,

Appellatione remota.

Cap. XI.

PRo *declaratione huius clausulæ, primo est sciendum, quod appellatio, est de iure naturali, cum sit quædam defensio, seu præsidium innocentiæ, vt apud Abbatem in rubrica de appellat. Item quod etiam in delicto notorio potest appellari, si Superior excedat modum in corrigendo, vt apud Iudictum Abb. dicitur in c. licet, de offic. Ordin. Et quod in pœnis arbitrarijs Iudex non debet excedere pœnas ordinarias, nec secundũ eas punire, sed ipsas diminuere, nam si imponat ordinariam, vel maiorem, excedit modum, & dicitur grauasse partes, apud Abb. in c. Inquisitionis, de accusat. Et quod à sententia Iudicis declarantis quem incidisse in pœnam legis, seu statuti potest appellari. Quia Iudex potuit male declarasse, seu sententiasse, Abb. in cons. 68. p. 2. & super cap. 59. de appellat. notatur à Glossa, quod potest* ap-

appellari vbicunque quis grauatur, licet grauamen non sit expressè in iure. Quia iniquum erat, quod aliquis euidenter grauatus non posset appellare.

Et notandæ sunt duæ regulæ generales, quarum prima est, quod ad Papam potest appellari ommisso medio, propter plenitudinem potestatis, vt habetur super cap. 67. de appellat. ex parte. Altera secunda, quod licet à pœna arbitraria Iudicis possit appellari; Secus est à pœna expressa in iure, vt habetur ex glossa super c. 16. Decret. & apud Abbatem in c. inter, de purgat. canonica. Quando igitur hæc clausula, Appellatione remota ponitur in rescripto Apostolico, intelligitur nisi superior excedat modum, & partem non grauet. Abb. c. licet, de offic. Ordin. & in c. de priore, de appellat. Vnde non tollit quin notoriè grauatus possit appellare, Abb. c. Pastoralis, de appellat. Item intelligitur de appellatione friuola, quæ fit sine grauamine, seu sine iusta causa interposita, vt habet Rod. in expositione supradictæ clausulæ.

Item aduertendum, vt habetur in de Iure Abbatum, quod clausula, Appellatione remota non impedit quin possit Iudex ex legitima causa reuocari: nam non est præsumendum Principem voluisse, vt quis litiget coram Iudice suspecto.

Episcopus depositus, qui ab hoc appellauit,

exercet pendente appellatione omnia iura Episcopalia. Appellatio enim extinguit, seu saltem suspendit pronuntiatum, & integer interim manet status appellãtis, in c. laudabilem apud Abb. vt lite pendente.

Et finaliter pro cõpleta declaratione supradictæ clausulæ, Appellatione, &c. Sciendum quod si præcedente grauamine, quis submittat se protectioni Superioris, habetur pro appellãte, licet ex simplicitate, verbum appellationis non exprimat, in Decret. c. 38. de appellat. Cum in Ecclesia.

De Clausula,

Supplentes omnem defectum.

Cap. XII.

SVpradicta clausula, Supplentes, &c. intelligitur de defectibus, qui interueniunt sine dolo, & surreptione. Siue defectus sit iuris, siue facti, siue mala cura, & negligentia, aut imperitia commissus. Vt si erraretur in iure, non seruando debitas solemnitates iuris, Abb. c. 1. de transact.

Item clausula, Supplentes, &c. inualidum facit validũ, Abb. c. 1. de cõfirm. vtil. vel inut. At per huiusmodi verba non supplentur ea, quæ sunt facti, & continent falsitatem, vel fraudolentiam, taciturnitatem, &c. Suar. lib. 8 de priuil. c. 20.

De

De Clausula,

Non obstantibus quibuscunque.

Cap. XIII.

PRo intelligentia huius clausulæ sciendum est, quod reuocatio potest fieri dupliciter, scilicet validè, & licitè. Vt licitè & decenter fiat, necessaria est aliqua honesta causa. Quia non decet Principem reuocare Priuilegrum a se concessum, nulla noua insurgente causa. Argumento cap. decet, de regul. iuris. in 6. Vnde si Princeps id faciat; actus profectò non erit vndique honestus, ex Suar. in de Priuilegijs. Quia indecenter operari aliqua culpa esse videtur saltem venialis, & ratione scandali, aut odij, vel grauis nocumenti proximi; poterit esse culpa lethalis, cum sit contra charitatem, & si Priuilegium concessum ab inferiori potest à superiori reuocari, quia superior reuocare potest legem inferioris; tamen id non rectè fit à superiore sine iusta causa. Quia est contra debitum ordinem, & non sine iniuria inferioris Prælati, nec sine detrimento subditorum.

Reuocatio quotupliciter fieri possit.

Reuocatio Priuilegiorũ quando culpa mortalis.

Reuocatio sine iusta causa facta ab inferiori

ri

Non omnis reuocatio est valida.

ri Prælato à Papa, probabile videtur esse inualidam. Quia talis Superior non potest priuare inferiorem sua ordinaria iurisdictione sine iusta causa, & pro sui voluntate. Vnde si id facere tentat; non habebit effectum. Quia excedit suam potestatem. Et idem dicitur in proposito Priuilegij.

Reuocatio expressa, & directa per clausulam generalem, Non obstantibus quibuscunque Priuilegijs non extenditur ad Priuilegia in iure contenta. Nam eo ipso, quod in corpore iuris inseruntur, non tantum Priuilegia, sed etiam leges publicæ censentur, & ideò non derogantur, nisi etiam addatur clausula derogatoria legum, & canonum: vt habetur ex quampluribus Iuristis, & Iuribus. Neque extenditur ad Priuilegia, quæ in suo tenore continent, vt reuocari non possint, nisi fiat eorum expressa mentio de verbo ad verbum, vel aliquid simile. Oportet enim vt addantur alia verba, vt reuocari possint; verbi gratia, si dicatur non obstante tale, vel tali clausula; reuocata intelligātur, vel signatim dicatur non obstante Priuilegio, sub quacūque verborum forma concesso: vel alio simili modo. Neq. extēditur ad priuilegia cōcessa per modū contractus, quæ nō reuocantur per clausulam generalem etiam expressam, nisi saltem in genere reuocentur. Priuilegia etiam si per

mo-

modum contractus fuerint concessa. Nam talis reuocatio est in praeiudicium tertij in iure acquisito, & iustitia; tale autem praeiudicium non praesumitur nisi exprimatur, & insuper supradicta clausula, Non obstantibus Priuilegijs, &c. non derogat Priuilegium ad pias causas, nec illa, quae commiserationis causa, vel publicae vtilitatis gratia concessa sunt. Suar. l.8. de Priuileg. c.38.

De Clausula,

Non obstantibus consuetudinibus.

Cap. XIV.

CLausula huiusmodi declarata habetur apud Confettium in de Priuilegijs, dico pag. 339. sui Compendij Priuilegiorũ, vbi dicitur, quod quando Summns Pontifex vult suspendere, seu reuocare ea, quae vsu tollerantur; hanc clausulam mandat apponi, Non obstantibus consuetudinibus vt in Bulla Coenae Domini fieri consueuit.

De Clausula,

Non obstantibus quibusuis derogatoriarum derogatorijs.

Cap. XV.

DE huiusmodi clausula sciendum, quod generalis derogatio sufficit, etiā si leges, & Priuilegia haberent clausulam, Derogatoriam in contrarium. Vnde si Princeps concederet Priuilegium cum speciali clausula, quod non censeretur illi derogatum, nisi specialis mentio fieret de eo; per clausulam generalem derogatoriam derogatoriarū, censetur illi derogatum &c. Ioannes de Anania in consil. 16. probat hanc esse communem sententiam, vt notatur apud Martam in de Clausulis.

Reuocatio ad quæ se extendat.

Aduertendum tamen, quod clausula reuocans in irritum, quicquid fuit intentatum vel immutatum in tali causa, non refertur ad legitimè, & iuridicè agitata, quia cùm agitur de præiudicio aliorum, habent verba restrictè capi, Abb. c. audito de restitut. spoliatorum. Præterea quamplures Iuristæ concluserunt huiusmodi clausulam derogatoriam appositam in Priuilegio vel rescipto, nihil operari

rari, quando Princeps concedens, iuris alteri competentis certior factus non fuerit. In dubio autem haec clausula semper restringenda est ad inualidas, & friuolas dispositiones, Alexander in pluribus consilijs, & Afflict. in praeludijs Constitutionum Regni.

De Clausula,

Contradictores, &c.

Cap. XVI.

SVpradicta clausula, Cōtradictores, intelligenda est de contradictore, qui de facto solum, atque iniustè contradicit, secus autem si contradicat de iure. Item clausula, Contrauenientes importat poenam arbitrariam. Quae doctrina procedit si de facto contrauenerint, nō autem si de iure. Vnde haec clausula comminatoria non procedit, si iusta & rationabilis sit contradictionis causa. Ità enim declarant verba infringere, & ei auso temerario contraire. Infringere importat malitiosam retractationem, Bart. in extrauaganti, Qui sint rebelles.

Quid impor tant verba, infringere, contraire.

Contraire fit dissimulando, audiendo al. lega.

legationes,&c. Attentare importat etiam se ad effectum non perducitur.

De Clausula,

Indignationem omnipotentis Dei, &c.

Cap. XVII.

HAec clausula, Indignationem, facit quod contrauenientes mortaliter peccant, quia hoc est virtualiter obedientiæ præceptũ, in virtute Spiritus sancti; & secundũ Bartol. Contrauenientes peccant mortaliter, quia Deus indignatur, & irascitur contra eos. Ità docet in extrauaganti, Ad reprimendum, in verbo Indignationem nostram, &c.

Auctor tamen operis de Iure Abbatum to. 1. disput. 17. existimat fractores Pontificij Priuilegij, in quo adest huiusmodi clausula, Indignationem, &c. subijci pœnæ arbitrariæ, sicut docent quamplures Iuristæ; qui citantur ab eo. Insuper clausula, Indignationem Petri, & Pauli, & Beatorum Apostolorum importat, vt inobedientes possint priuari suis beneficijs Bald in cap. 1. §. Porrò, quæ sit prima causa beneficia ammittendi.

Et quando in Bullis, & Decretis, aut alijs

litte,

litteris Apostolicis, in quibus prohibetur aut præcipitur aliquid, apponitur verbum præsumpserint, vt si dicatur de transgressoribus, si præsumpserint, vel similia &c. non comprehenduntur talibus legibus, aut censuris, vel pœnis, nisi illi, qui ipsas transgrediuntur ex dolo, malitia, vel præsumptione: non vero illi, qui etiam ex ignorantia culpabili, illas transgrediuntur. Quia verbum præsumptionis significat temeritatem, vel malitiam. Lezana tom.1. cap.10. num.35. & citat. Caetanum in summa ver. excom. & Nauar. Quando verò solum apponuntur verba communia, scilicet fecerint, perpetrauerint, non obedierint &c. non comprehenduntur illi, qui solum habent ignorantiam probabilem, vel inuincibilem. Quia talis ignorantia fecit actum inuoluntarium, & citat Siluestrum, Mirandam, & alios. Sed ignorantes ignorantia affectata crassa, vel supina, quia hæc æquiualet malitiæ, & dolo.

De

De alijs Clausulis, quæ subintelligantur in Priuilegijs, & si non ponantur. Cap.XVIII.

IN rescriptis clausula (si preces veritati nitantur) semper intelligitur etiam quod non sit apposita, Abb. cap. ex parte, de rescript.

Clausula (si ita est,) semper subintelligitur in confirmatione facta per Papam, Abb. cap. Dudum, de decimis.

Clausula prout tibi videbitur, vel ad velle tuum & similes, important arbitrium iustũ, Abb. cap. cum de tua, de corpore vitiatis, & arbitrium boni viri, regulatum á iure, Abb. cap. significarit, de penitent. & remissionibus, & decis. 9. alias 449. in nouis.

Clausula solita apponi de stilo Curiæ, debet subintelligi, si casu non fuerit expressa, vel fuerit ommissa, Abb. cap. cum de constitut.

Quæ dicta sunt de Priuilegijs quodammodo etiam habent verificari, & verificantur de statutis. Statutum enim sic est intelligendum, vt absurdum vitetur, decis. 256. Diuers.

Statuta quo modo intelligenda.

Item statuta habent semper interpretari,

ne

ne contineant absurditatem, vel obsonum intellectum, ne sint irrationabilia, & ne mereantur à Sapientibus reprehẽdi, decis. 724. p. 1. in nouissimis. Vnde & statutũ iuri communi contrarium licet à Papa confirmatum, potest à Cardinali legato nedum declarari, sed etiam reuocari, decis. 7. R. P. D. Rojas 14. Ianuarij 1636.

Item confirmatio quælibet habet subintellectam tacitè clausulam, quatenus quesita licita fuerint, & honesta, decis. 682. Paleoti A. R. R.

Item Clausula (secundum tuam consciẽtiam) non debet intelligi de conscientia vulpina, Abb. in cap. inter de purgat. canon. Clausula (ex nunc pro tunc) tempus futurum trahit ad præsens, & operatur, vt actus censeatur liberè effectus ab ipso principio. Ità ex Marta in de Clausulis.

Et tandem sciendũ, quod generale Priuilegium habet generalem subintellectam illã conditionem, vt regularem obseruantiam non relaxet. Quia intelliguntur communicari ea, quæ ad fauorem pertinent, non quæ ad perniciem. Et quæ ad edificationem cõferre possunt, non quæ ad destructionem, & semper habetur subintellecta clausula illa, salua iustitia, vt notat ex Panor. Bonacina in de Priuilegijs. Vnde Clausulæ generales restringuntur

Clausulæ generales, quę comprehenduut.

vt non cõprehendant, quæ nõ esset quis verisimiliter concessurus, sed ad solita, ad debita, ad id, quod est verisimilius; item ad illa, quæ commodè fieri possunt, &c. vt est videre apud Martam 4 parte, de Clauſ.



Vnde

Vnde desumptæ sint Bullæ, & Decisiones, quæ citantur in hoc opere.

BVllæ, quæ citantur in hoc opere, desumptæ sunt ex Bullario Laertij Cherubini, inscripto Bullarium, siue noua collectio plurimarum Constitutionum Apostolicarum, à Beato Leone Primo, vsque ad sanctissimum Dominum Paulum Quintum, impressum Romæ 1617. & à quarto tomo completo per suum filium D. Angelum Cherubinum Monachum Cassinensem.

Et quando in hoc opere citatur aliqua Bulla, v.g. tertia, quinta, septima, &c. & nihil aliud additur, intelligitur tertiam, quintam, septimam, &c. esse in prædicto Bullario illius Pontificis, qui similiter ibi nominatur, verbi gratia, Leonis, Gregorij, Vrbani, &c. Aduertat Lector.

Bullarium à Laertio Cherubino describitur per speculum quoddam, in quo, & qui nunc viuunt, & posteri omnes, Summorum Romanorumque Pontificum, in amplianda ortodoxa fide, vigilantiam; Hereticorum erroribus tollendis, sollicitudinem; Concilijs generalibus cogendis, moderandisque prouidentiam; Sanctis viris canonizandis,

authoritatem ; Religionibus, alijsque pijs institutis promouendis, reformandisque solertiam; Christianorum Principum pace seruanda, restaurandaque prudentiam; Litterarum studijs, & bonis artibus fouendis, charitatem ; atque beneficentiam contemplETUR.

Decisiones, quæ citatur in toto hoc opere, desumptæ sunt ex quatuor voluminibus Decisionum tam nouissimarum, quàm nouiter nouissimarum diuersorum Sacri Palatij Apostolici Auditorum, quæ impressæ fuerunt Venetijs M. DC. XVIII. & extant dedicatæ PerIllustri, & Reuerendissimo D. Angelo Grillo Abbati Cassinensi, & volumen primum intitulatur Decisiones nouissimæ, &c. Item ex Decisionibus, quæ nouæ, & antiquæ, & antiquiores dicuntur, & sunt impressæ Coloniæ Agrippinę Anno 1581.

Finis Libri Primi.


DE

DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORVM

LIBER SECVNDVS.



De dubijs, quæ contingere solent circa ipsa Priuilegia. Cap. I.



ABITA significatione, & definitione Priuilegij, vna cum diuisionibus eius, & declaratis clausulis ipsorum Priuilegiorũ: modo ponenda sunt dubia, & resoluenda, quæ passim contingunt circa ipsa Priuilegia. Quæ dubia accidere solent vel circa loca, vel circa tempora, vel circa personas, vel circa res & modum; vel circa hæc omnia communiter. De dubijs, quæ communia possunt esse, primo tractabimus, deinde de particularibus locorum, temporum, &c.

De dubijs communibus Priuilegiorum, vna cum resolutionibus. Cap. II.

COmmunia Priuilegiorum dubia possunt esse infrascripta.

Primum, Priuilegium quid operetur.

2 An Priuilegium faciat ex illicito licitum.

3 Priuilegij causa cessante, an cesset Priuilegium.

4 An aliqua Priuilegia non cõmunicentur.

5 Cum dubitatur de falsitate Priuilegij, q̃d sit faciendum.

6 Priuilegio reuocato quo ad vnum, an reuocetur quo ad alium.

7 An aliqua Priuilegia emanẽt propter importunitatem, & si valeant.

8 Regula, generi per speciem derogatur, an habeat locum in Priuilegijs.

9 Priuilegium speciale quando non deroget generali.

10 Priuilegium communicatiuum ad quæ se extendat.

Ad primum respondetur, *Quod Priuilegium, idem operatur, quod ius commune, Rot. decis. 621. p. 1. in nouissimis.*

Ad

Ad secundum affirmatiuè dicitur. *Priuilegium ex illicitò facere licitum, vt habetur super cap. vnicum de Priuilegijs in extrauag.*

Ad tertium respondetur. *Quod causa cessante debet cessare Priuilegium, decis. 139. in nouissimis. Aduertendum tamen, quod hoc intelligitur quando cessat causa in communi, vt dicunt omnes Iuris periti, & vt habetur apud Mirandam tom. 1. q. 43. art. 3. secus autem quando cessat causa ex accidente, siue in persona particulari. Vnde quamuis aliquis religiosus in particulari irreligiosè viuat, in foro exteriori non ammittit Priuilegium alijs Religiosis concessum. Et insuper etiam notandum est, quod vt concessio Priuilegij, licita sit, non est necesse, vt includat illam limitationem, vel intentionem, vt solum duret, quamdiù causa durauerit. Quia qui donat indigenti, non tenetur semper limitare donationem pro tempore indigentiæ: ergo idē est cum proportione in Priuilegio, quod veluti quandam donationem continet. Quia sicùt apud Deum momontanea tribulatio, eternum gloriæ pondus operatur; ita apud Principes, momontanea gloria parentis, comparat filijs perpetuam nobilitatem. Et simili modo apud Pontifices, præsens vtilitas, vel austeritas Religionis potest esse sufficiens causa, vt ei Priuilegia perpetua concedantur, quæ*

durent etiam si cesset illa vtilitas, vel austeritas, & Religio perueniat ad illum statum, in quo imprudenter talia Priuilegia illi concederentur.

Ad quartum respondetur *Affirmatiue, vt est notare ex quibusdã Priuilegijs cõcessis Patribus Societatis Iesu à Greg. XIII. Bul. 77. & ex Priuilegio Greg. XV. concesso PP. Domenicanis in materia Conceptionis post Bullam suam 29 Anno 1622. Et restrictio illa, quæ interdum addi solet Priuilegio alicui concesso, scilicet, vt sit alijs incommunicabile; Suarez l. 8. de Priuilegijs, cap. 17. vult quod non tollatur per concessiones generales postea factas, siue ab eodem, siue ab alijs Pontificibus, contra Rodericum aliter sentientem, quia generalis concessio casuum non extenditur ad reseruatos.*

Doctrina communis pro Priuilegijs.

Ad quintum respondetur. *Quod cum dubitatur de falsitate Priuilegij, debet recurri ad registrum Papæ. Et est registrum, locus vbi reperiuntur scripturæ super rebus gestis. Sicuti in simili recurrimus ad protocollum Notarij, quando dubitatur de falsitate instrumenti, Abb. cap tum ex litteris, de restit. in integrum.*

Ad sextũ respõdetur. *Quod vbi sunt duo pariter priuilegiati, reuocato Priuilegio quo ad vnum, non extenditur quo ad alium, nisi*

Prin-

Princeps expressè extendat, Abb. cap. Nuper, de decimis. Et incidenter scias, quòd reuocatio Santiss. D.N. Vrbani VIII. const. 57. intelligitur solùm de Priuilegijs, quibus Religiosi in regnis Hispaniarum exempti erant ab eorum Prælatorum obedientia, & poterant exire è Monasterijs cũ socijs sibi benè visis, & non interesse Choro, nec refectorio cum alijs.

Ad septimũ respondetur. *Quòd sæpè Priuilegia emanant ex nimia occupatione Principis, & propter nimiam importunitatem petentium. Vnde concessio in his, quæ non sunt solita fieri; præsumuntur per importunitatem, & præoccupationem facta, decis. millesima 938. Tholomei Aud. Rot. R.*

Ad octauum respondetur. *Quòd regula, Generi per speciem, &c. secundùm aliquos habet locum etiam in Priuilegijs. Vnde, si Papa concederet vni omnes decimas alicuius Parochiæ, & alteri post-modum concederet decimas alicuius prædij illius Parochiæ; vel exẽptionem à decimis; tunc per secundum speciale derogatur primo quantum ad speciem contentam in secundo. Host. tamen, & alij dicunt, quod Priuilegio generali non derogatur per sequens Priuilegium speciale, nisi de illo faciat mentionem. Quia Princeps per suum Priuilegium non intendit derogare iuri*

alteri

alteri acquisito, sed per generale Priuilegium est ius acquisitum in qualibet specie contenta sub genere; ergo, Abb. cap. ex litteris de constit.

Ad nonum respondetur. *Quod quando Priuilegium est tale, quod acquisitum sit ius in re, & in omnibus speciebus contentis sub genere; tunc Priuilegium speciale non derogat generali, vt dictum est supra, cum iam sit sortitum effectum suum, Abb. cap. veniens, de rescript.*

Priuilegium non trahitur ad insolita.

Ad decimum respondetur. *Quod Priuilegium adequatiuum, seu communicatiuum, etiam conceptũ cum illis verbis, in omnibus, & per omnia, non trahitur ad insolita, & cum difficultate concedenda, vt quod eximentur laici à solutione decimarũ est insolitum, & non nisi cum difficultate concederetur eis, Rot. decis. 55. par. 2. in nouissimis.*

De

De alijs dubijs communibus Priuilegiorum cum resolutionibus. Cap. III.

PRimum, Communicatio Priuilegiorum in quo consistat.

2 Communicatio Priuilegiorum de quibus intelligatur.

3 Priuilegiorum communicatio quotupliciter fieri possit.

4 Priuilegiorum communicatio, an operetur ampliationem.

5 Priuilegiorũ innouatio quot fiat modis.

6 Priuilegia in dubijs, quomodo debeant interpretari.

7 An sicut sit communicatio Priuilegiorũ, ita etiam communicentur pœnæ, quæ sunt in Priuilegijs.

8 Priuilegiorum mare magnum quid sit, & quod nam dicatur.

9 Priuilegia, quæ continent idem, quod ius commune, ad quid deseruiant.

10 An aliqua Priuilegia sint redacta ad terminos iuris communis.

Ad primum respondetur. *Quod communicatio Priuilegiorum consistit in hoc, quod concessa vni Ordini, etiam in Specie; intelliguntur concessa alijs Ordinibus, ac si nominatim eis concessa fuissent. Et sic Patres Ordinis Minorum possunt vti Priuilegijs Patrum Dominicanorum, & è contra, vt habetur ex Bulla 6. Sixti IV. & Iulius Secundus B. 18. concessit minoribus obseruantibus vltramontanis, Hispanis, Gallis, Alemanis, quicquid erat cōcessum familiæ Cismontanæ; sub quibuscunque formis, & tenoribus, & notandum, quod eadem regula currit etiam pro Monialibus inter se, ex Leone Decimo Bull. 32. & à Pio Quinto Bull. 131. Patribus Societatis Iesu communicata fuerunt non solum priuilegia Mendicantium, sed etiam & sororum Mendicantiorum.*

Communicatio Priuilegiorum inter quos currit.

Item sciendum, quod communicatio Priuilegiorum currit de Prælatis ad Prælatos, de Fratribus priuatis ad Fratres priuatos: & de Festiuitatibus ad Festiuitates, vt notatur in Comp. Priuileg. Mend. & non Mend. pag. 131. non obstante, quod plures Sancti in vno, quam in alio Ordine celebrentur. Ita declarauit, & concessit Prædicatorum Ordini Iulius II. Bull. 18. & Sixtus IV. Bull. 33. vt est notatum à Ioanne de la Cruz in de Priuilegijs c. 4. & huiusmodi communicatio Pri-

uilegio.

uilegiorum Regularium fuit pluries canonizata in Rota, scilicet 5. Decemb. 1596.& 9. Martij 1598. & etiam coram Eminentiss. Card. Verospio 1618.

Ad secundum respondetur. *Quod communicatio Priuilegiorum intelligitur de immunitatibus, exemptionibus, indultis, &c. quæ professioni, & statui communicantium non contrariantur. Item communicatio Priuilegiorum debet intelligi sine præiudicio illius, cuius Priuilegia cõmunicantur, iuxta tradita per Rotam, dec 55. p. 2. diuers. & decis. 214. recent.*

Ad tertium respondetur. *Quod communicatio Priuilegiorum potest fieri dupliciter, scilicet de concessis tantum, & de concessis, & concedendis, vt patet ex pluribus exemplis in hoc opere.*

Ad quartum respondetur. *Quod communicatio, & exequatio Priuilegiorum non operatur ampliationem, vt plus habeant, quibus communicatur, quam ij, quibus concessa sunt, Rot. dec.55. p.2. in nouissimis.*

Ad quintum respondetur. *Quod sicut confirmatio distinguitur in eam, quæ est in forma communi, vel ex certa scientia; ita etiam & innouatio, & Suarez c. 20. de Priuileg. docet, quod innouatio Priuilegij ex vi verborum sit reparatio Priuilegij admissi, tamen*

quod

quod proprietas verbi innouandi non cogit interpretandum ex vi illius fieri nouam concessionem Priuilegij, etiam prius inualidi, vel reuocati. Quia sæpè renouari dicitur, quod durat, & non dum extinctum est, vt patet in arcte factis.

Ad sextum respondetur. *Quod quando sumus in Priuilegijs, in dubio debemus interpretari rem, vt potius valeat, Abb. c. estote, de reg. iuris. Vltra quod Leo X. constitut.* 1. *& Paulus III. similiter constitut.* 1 *pro Camaldulensibus statuerunt, quod Priuilegia concessa ipsis Monachis, in dnbio interpretatur in fauorem eorum.*

Vnde Priuilegia dubia, dubietate orta ex ambiguitate verborum, & iuristarum interpretatione, in fauorem Regularium sunt interpretanda. Ita concessit Leo X. B.2. Anno Domini 1513. *PP. Camaldulensibus, & Iulius II. Congregat. montis Olineti Bull.*12. 1507. *vt habetur in de Iure Abb. tom.*1. *disput.*18 *quæst.*6.

Ad septimum dicitur. *Quod, quo ad pœnas & censuras latas contra aliquem Ordinem Mendicantium, nullo pacto inter eos fit communicatio, cum secundum regulam iuris, odia restringi, & fauores conueniat ampliari, de regul. Iuris in* 6.

Ad octauum respondetur. *Quod mare- ma.*

magnum Priuilegiorum est, & dicitur vna compilatio multorum Priuilegiorum, ibi mixtim, confuseque contentorum. Prædictum autem mare magnum, siue compilationem Priuilegiorum fecerunt diuersi Summi Pontifices, pro diuersis Religionibus, & in diuersis temporibus, colligendo Priuilegia prædecessorum, & addendo sua. Vt Sixtus IV. Const:6.& 7. & idem Iulius II. Constit. 15. Pius IV. const.5. vel. 41. & Pius V. const.2. & 41.

Ad nonum respondetur. *Quod deseruiunt ad hoc, quia vt experientia constat, & vt dicunt communiter Iuris periti, magis solet timeri, quod specialiter cauetur; & quia multi sciunt talia Priuilegia ignorantes alias communia iura.*

Ad decimum respondetur. *Quod Priuilegia Mendicantibus, & alijs Regularibus concessa contra locorum Ordinarios, redacta fuerunt ad terminos iuris communis, & Concilij Tridentini per Const.Greg.XIII. Bull.9 quæ incipit, In tãtã rerum, &c. vt fuit notatum etiam à P. Naldo in sua Summa, & ideò in vsu Priuilegiorum non nisi cautè, & consideratè est ambulandum.*

De alijs dubijs communibus Priuilegiorum, cum resolutionibus. Cap. IV.

PRimum, an quæ sunt contra Priuilegia, 1 dicatur esse contra libertatem Ecclesiæ.

2 An Priuilegium secundum valeat non faciens mentionem de primo.

3 An Priuilegium propter falsam latinitatem vitietur.

4 Priuilegium contra ius, de quo habeat facere mentionem.

5 An Priuilegium extendatur ex identitate rationis.

6 Priuilegia, an possint extendi ad similes casus, in quibus subest eadem, vel maior ratio.

7 Quæ verba in Priuilegijs ostendant exemptionem ab Episcopis.

8 An priuilegium odiosum ampliari possit.

9 An priuilegium enormiter lædens, valeat.

10 An Priuilegia omnia suspendantur per Bullam Cruciatæ, vel Iubilęi.

Ad

Ad primum respondetur, *Affirmatiuè. Omnia enim illa dicũtur esse contra libertatem ecclesiasticam, quæ sunt contra Priuilegia, concessa siue à Deo, siue à Vicario eius Papa, siue ab Imperatore. Abb.c. Ecclesiæ, scilicet S.Mariæ de constit.*

Ad secundum respondetur, *Quòd, quando secundum Priuilegium non facit mentionem de primo, semper valet primum, & non secundum. Ratio iam est adducta superiùs. Glos. super c.2. de rescript. in decret.*

Ad tertium respondetur, *Quòd latinitas falsa vitiat rescriptum, sed non testamentum. Quia testamentum committitur tabellionibus, quorum scripturam, siue latinum nullus corripit. Rescriptum verò Papæ per multas manus transit, & magna maturitate decoquitur, & ita nullum vitium continere debet, Vnde & priuilegium per falsum latinum vitiatur ex Glos. super cap.2. de rescrip. ad audientiam.*

Ad quartum respondetur, *Quod Priuilegium contra ius, maxime priuatur, debet facere mentionem de iure, vt habetur in c. ex parte, de capp. monac. Abb. in c. sicut Romana, de rescrip.*

Ad quintum, & sextum respondetur. *Negatiue, vt habetur in c. sanè, de Priuileg. & ita etiam Abb. c. canonica, de sent. excomm.*

Et ratio est, quia virtus, & efficacia Priuilegij, neque omninò, neque essentialiter posita est in ratione, sed in voluntate concedentis: ergo parum refert, quod in simili casu, vel persona eadem ratio versetur, si voluntas ad illã non extendatur. Quæ ratio, vt habet Suar. l. 8. c. 28. de Priuil. procedit æquè in priuilegio piæ causæ, quia etiam illud pendet ex voluntate Principis, qui licet velit facere vnum pium opus; non ideò vult facere omnia similia, vel equalia, in quibus eadem ratio militat.

Priuilegia nõ extendãtur propter identitatem rationis.

Ad septimũ respondetur, *Quod vbicunque inueneris hæc verba libertatis in Priuilegijs, statim intelligas eos esse in toto exemptos à iurisdictione Episcoporum, vt habetur c. 8. Præcepimus, de Priuil. ex Glossa.*

Quando Priuilegia possint ampliari.

Ad octauum respondetur, *Quod licet priuilegium sit contra ius commune, aliquando ampliari potest, nempè quando sic recta ratio, & prudentia dictat, & si agatur de causa pia, & religiosa. Ita Bonac. in de Priuil.*

Ad nonum respondetur, *Quod Priuilegium enormiter ledens Ecclesiam, aut alios nõ valet, nisi fiat mentio de ista enormi lesione. Quia in dubio non præsumitur Principem cõcedere aliquid cum alterius graui dispendio. Ita Tamb. de Iur. Abb. disput. 18. q. 6.*

Ad decimum respondetur *Negatiuè, ex Confectio in suo Compendio Priuilegiorum pag. 339.*

pag. 339. ibi enim dicitur, quod per Bullam Cruciatæ, & Iubilæi non omnium Regulariũ Priuilegia suspenduntur, sed ea tantum, quæ contentis in dictis Bullis Cruciatæ, & Iubilæi aduersantur, & quo ad seculares tantum.

De alijs duobus dubijs cõmunibus Priuilegiorum, cum eorum resolutionibus. Cap. V.

PRimum, an omnium Regulariũ Priuilegia, quę sunt contra Sacros Canones, seu Cõcilij decreta; sint reuocata.

2 An Priuilegium remuneratiuum sit reuocabile à concedente.

Ad primum respondetur *cum Patre Miranda, tom. 1. q. 42. artic. 3. quod de hac re sunt duæ extremæ opiniones. Prima affirmat, & fundatur in Concil sess. 25. c. 12. & in Bulla Pij IV. lata anno 1565. & in altera Gregorij XIII. anno 1572. Altera verò dicit illa solummodo Priuilegia per Conc. Trid. esse abrogata, & reuocata, in quibus formaliter, & expresse reuocantur Regularium Priuilegia, & in quibus apponitur illa clausula, Non obstantibus quibuscunque Priuilegijs. Vnde ad*

Et ratio est, quia virtus, & efficacia Priuilegÿ, neque omninò, neque essentialiter posita est in ratione, sed in voluntate concedentis: ergo parum refert, quod in simili casu, vel persona eadem ratio versetur si voluntas ad illã non extendatur. Quæ ratio, vt habet Suar. l. 8. c. 28. de Priuil. procedit æquè in priuilegio piæ causæ, quia etiam illud pendet ex volontate Principis, qui licet velit facere vnum pium opus; non ideò vult facere omnia similia, vel equalia, in quibus eadem ratio militat.

Priuilegia nõ extendãtur propter identitatem rationis.

Ad septimũ respondetur, *Quod vbicunque inueneris hæc verba libertatis in Priuilegÿs, statim intelligas eos esse in toto exemptos à iurisdictione Episcoporum, vt habetur c. 8. Præcepimus, de Priuil ex Glossa.*

Quando Priuilegia possint ampliari.

Ad octauum respondetur, *Quod licet priuilegium sit contra ius commune, aliquando ampliari potest, nempè quando sic recta ratio, & prudentia dictat, & si agatur de causa pia, & religiosa. Ita Bonac. in de Priuil.*

Ad nonum respondetur, *Quod Priuilegium enormiter ledens Ecclesiam, aut alios nõ valet, nisi fiat mentio de ista enormi lesione. Quia in dubio non præsumitur Principem cõcedere aliquid cum alterius graui dispendio. Ita Tamb. de Iur. Abb. disput. 18. q. 6.*

Ad decimum respondetur *Negatiuè, ex Confectio in suo Compendio Priuilegiorum pag. 339.*

pag. 339. ibi enim dicitur, quod per Bullam Cruciatæ, & Iubilai non omnium Regulariũ Priuilegia suspenduntur, sed ea tantum, quæ contentis in dictis Bullis Cruciatæ, & Iubilai aduersantur, & quo ad seculares tantum.

De alijs duobus dubijs cõmunibus Priuilegiorum, cum eorum resolutionibus. Cap. V.

PRimum, an omnium Regulariũ Priuilegia, quę sunt contra Sacros Canones, seu Cõcilij decreta; sint reuocata.

2 An Priuilegium remuneratiuum sit reuocabile à concedente.

Ad primum respondetur *cum Patre Miranda, tom. 1. q. 42. artic. 3. quod de hac re sunt duæ extremæ opiniones. Prima affirmat, & fundatur in Concil sess. 25. c. 12. & in Bulla Pij IV. lata anno 1565. & in altera Gregorij XIII. anno 1572. Altera verò dicit illa solummodo Priuilegia per Conc. Trid. esse abrogata, & reuocata, in quibus formaliter, & expresse reuocantur Regularium Priuilegia, & in quibus apponitur illa clausula, Non obstantibus quibuscunque Priuilegijs. Vnde ad*

verba Conc.Trid sess.5.de reform. c.22. dicūt, quod in dicto capitulo solummodo reuocantur Priuilegia, quæ sunt contra decreta,& determinationes ibidem positas, in dicta sess.25. non verò illa Priuilegia, quæ sunt contra aliarum sessionum, in quibus non apponitur similis derogatio, & reuocatio expressa, seu aliqua alia clausula equiualens. Et quod ita sit, constare dicunt ex verbis positis in dicto Capitulo, postquam ibi dicitur hæc omnia, & singula superioribus Decretis contenta: notandum est verbum superioribus Decretis, ac si diceretur non autem in superioribus sessionibus. Supradictus Pater Miranda concludit, se Iudicem in hac difficultate non velle agere, neque propriam sententiam statuere, sed illius decisionem, atque determinationem Sanctiss. Domino remittere, Eminentissimisq. Cardinalibus Præfectis explicationi, atque declarationi Concil. Trid. Et in eundem modum ego qui scribo, me subscribo, cupiens potius humiliter doceri, quam superbè errare.

Ad secundū respondetur *Affirmatiuè, quādo remuneratio excessiua est, vel quando fit ob necessitatem publicam, vel aliam vrgentem causam. Debet tamen fieri cum aliqua recompensatione propter naturalem iustitiam. Suar. lib.8.de Priuil.c.37.*

De

De dubijs, quæ oriri possunt circa personas in Priuilegijs. Cap. VI.

PRimum. Priuilegium quis concedere possit.

2 An Priuilegium concessum non subdito, sit reuocabile à concedente.

3 Priuilegia à quibus possint interpretari.

4 Priuilegia à quibus possint restringi.

5 An Generales Religiosorum possint iudicialiter Priuilegia interpretari.

6 An Generales possint limitare, & auferre vsum Priuilegiorum.

7 An reuocans Priuilegium absque causa, peccet.

8 Priuilegia Religiosorum, an teneantur tueri Ecclesiarum Prælati.

9 Priuilegium Papæ an possit per Statutum inferioris tolli, vel restringi.

10 An inferior Papa possit cognoscere an Priuilegium sit subreptitium.

Ad primum respondetur, *Quod Priuilegium possunt concedere Præses prouinciæ, vel Dux, vel Marchio, Comes, Communitas, Ciuitas, vel alius Dominus prouinciæ*

temporalis. Item generalis regula est, quod quilibet potest Ecclesiæ dare Priuilegium in his, quæ ad ipsum spectant, iuxta cap. Cum dilecti, de donat. Sed generale Priuilegium dare, siue concedere, ad solum Papam, siue Imperatorem pertinet, cum ad eos dumtaxat spectet vniuersaliter disponere de toto Orbe. Ita Miranda tom.1. q.27. art.6. Episcopus similiter in proprio Episcopatu dum viuit, de voluntate tamen sui Capituli, potest concedere Priuilegium: & multo fortius Archiepiscopus, & Patriarcha, &c. Miranda vbi sup.

Ad secundum respondetur, *Quod Priuilegium concessum non subdito, non potest amplius reuocari, cum sit ius requisitum priuilegiato, & concedens non sit eius Dominus, seu Superior: Abb. c.nouit ille, de iudicijs. Et Princeps non habet ius priuandi non subditum rebus suis, & legitime acquisitis. Et hoc etiam currit quo ad successores. Equè enim probat ratio facta in successore, ac in ipso concedente. Alias enim nulla pacta cum Principibus supremis esse possent firma, & perpetua, quod est contra ius gentium, & contra rectam rationem, & pacem generis humani. Quod tamen totum intelligitur re in eodem statu manente, idest, non facta tanta rerum mutatione, vt Priuilegium vergat in notabile detrimentum Principis concedentis.*

Ad

Ad tertium respondetur *Ex Miranda, tom.1. q.7. art.8. Quod certissimum est, & omni dubio procul, quod iudicialis diffinitio, seu interpretatio iurium, & legum Apostolicarum, ac Priuilegiorum de iure communi est Summo Pontifici reseruata, sed per hoc non tollitur, aut probibetur doctrinalis, seu magistralis declaratio, quam non solum Religionum Prælati; verum etiam quicunque alij litterati secundum naturalem rationem, & iuris fundamenta possunt præstare de Priuilegijs, & legibus quibuscunque Et ab eodem, q.26. art.26. additur, quod etiam publica commentaria possunt edere: Sed si declarationes iudiciales in scriptis, vel alias facerent, probibendo sub aliqua pœna, ne subditi possent vti alia declaratione, seu interpretatione, peccarent, & sua declaratio esset nulla. Quia vt dictum est eiusmodi iudicialis declaratio est Summo Pontifici reseruata.*

In quo consistat iudicialis declaratio.

Ad quartum responsio est eadem, *Quæ datur ad sextum; quod sequitur.*

Ad quintum respondetur *Affirmatiuè, ex Priuilegio Iulij II. Bull.12. A. D. 1507. vt notat Tambur. in suo de Iure Abb. tom.1. disp.16. q.6.*

Ad sextum respondetur *Cum Roderico in suis qq.regul. to.1. q 9. art.2. quod Generalis, & Prouinciales, Capitula generalia, & pro-*

uincialia, quæ non habent auctoritatem Apostolicam, non possunt limitare, neque tollere à religiosis Fratribus vsum Priuilegiorum Apostolicorum, cum certum sit non posse minores tollere, neque abrogare, quod á maioribus gestum est, nisi in casu, quo Religiosi abuterentur Priuilegijs. Priuilegium enim meretur ammittere, qui malè accepta vtitur potestate. Et in adnotationibus Cordubæ in C.P. pag. 16. habetur quod si quis abutitur Priuilegio Apostolico, Generales possunt suspendere illud, quousque consulerint Papam. Nullus enim sine auctoritate Papæ potest tollere Priuilegium Papæ.

Ad septimum respondetur affirmatiuè. *Ratio est, quia Priuilegium Principis decet esse mansurum. c.Decet, de reg. iuris in 6. Et Priuilegia perpetua firmitate constare debent, vt habetur in floribus legum, nec decet Principem sine causa mutare voluntatem. Ergo per reuocationem illius absque iusta causa committitur aliqua indecentia, & inconstantiæ culpa. Ita apud Bonacinam in de Priuilegijs, qui citat Suarez, & alios.*

Ad octauum similiter respondetur *Affirmatiuè, ex Bulla Iulij II. & ex concessione aliorum summorum Pontificum, vt notatur in C P.M. & non Mond. sub titulo Conseruatores Ordinis, & apud Ioannem de la Cruz*

in de Priuilegijs cap.10.

Ad nonum respondetur, *Quòd Priuilegium à Papa, vel Imperatore, vel alijs Apostolicam, vel Imperialem auctoritatem habentibus concessum, non potest per statutum inferioris tolli, vel restringi. Rot. decis.103. p.2. in nouissimis. Immò & statutum non valet in præiudicium, & derogationem Priuilegij per superiorem concessi. Et potiùs videntur sapere monopolium, quia sunt alteri præiudicialia. Et statuta facta ad vsurpationem alicuius priuati commodi, dicuntur monopolium continere. Rot.dec.103. p.2. in nouissimis.* Statuta quãdo dicantur monopoliũ.

Ad decimum respondetur, *Quòd Doctores communiter consentiunt quod sic, quia tunc potius iudicatur de priuilegiato, quàm de Priuilegio, scilicet an priuilegiatus sit capax, &c. Item data longa distantia, siue difficultate adeundi Superiorem, si poterit decidi casus per rationem naturalem, & verisimilem, inferior hoc etiam poterit. Abb. c. cum venissent, de iudicijs.*

De

De alijs dubijs, quæ oriri possunt circa personas in Priuilegijs, cum eorum resolutionibus. Cap. VII.

PRimum. Priuilegia Apostolica à quibus debeant esse subscripta.

2 Priuilegiatus, an debeat parere superiori, contra tenorem sui Priuilegij.

3 Priuilegiatus non admittens Priuilegia alterius, an priuetur suis.

4 Contra Priuilegium qui faciant.

5 An Mendicantes posſint vti Priuilegijs non Mendicantium.

6 An Moniales communicent in Priuilegijs.

7 An Religiosorum Priuilegijs gaudeant Tertiariæ.

8 An Fratres vnius Ordinis possint vti per communicationem Priuilegiorum, gratia concessa alteri Ordini, si ille Ordo, cui est concessa, ea non vtitur.

9 An virtute Priuilegiorum communicatorum, participes possint Priuilegijs vti in iudicio contra eos, quibus concessa fuerunt.

10 An priuilegiatus possit vti suo Priuilegio contra equè priuilegiatum.

Ad

Ad primum respondetur, *Quod Priuilegia Apostolica debent habere subscriptionem aliquorum Cardinalium, quia cum talia Priuilegia sumant vim ex sola voluntate Principis, multum debet constare de voluntate. Rot. decis. 1. de Priuilegiis in antiquis. Hoc tamen modo non videtur de stilo Curiæ.*

Ad secundum respondetur, *Quod priuilegiatus non debet parere suo Superiori, contra tenorem sui Priuilegij. Abb. c. Sanè si Episcopi, de excessu Prælatorum. Imò excommunicatio lata contra subditum, quia non paret contra Priuilegium sibi concessum, non valet. Sententia enim notoriè iniusta, est nulla. Abb. c. Cum ad quorundam, de excessu Prælatorum.*

Ad tertium respondetur, *Quod priuilegiatus non admittens, vel conseruans Priuilegia alterius, priuatur suis; Abb. c. Dilecti, de Priuil. Huius doctrinæ de facto non apparet exemplum, ideò li priuatur videtur melius intelligendum, quod debeat priuari, quasi in pœnam suæ culpæ.*

Ad quartum respondetur, *Quod contra Priuilegium facit, qui seruat sola verba, & venit contra mentem. Mens enim potius debet attēdi, quam verba. Nam verba deseruiunt intentioni, & non è conuerso. Et in testamēto consideratur mens testatoris potius, quam verba.*

ba. Vt habetur ex Gloss. super c. 26. Quatenus, vel Quanto de Priuil.

Ad quintum respondetur *Cum Patre Tamburino, in de Iure Abbatum tom. 1. disp. 1. q. 8. quod sub nomine Abbatum, quo ad ea, quæ spectant ad potestatem iurisdictionis, veniunt alij Regularium tam Mend. quàm nõ Mend. superiores, quia re vera omnes Prælati sunt. Quo vero ad ea, quæ spectant ad potestatem dignitatis Episcopalis, quam Abbates participant; alij Regulares Prælati, Abbatum nomine non veniunt, vt certum est apud omnes, & communis vsus manifeste indicat. Et licet per viam communicationis gaudere possint omnibus Priuilegijs, quæ specialiter Abbatibus cõcessa sunt, tamen ex perpetuo eorum silentio, ac non vsu; clarè comprehenditur omnes supponere Prælatos ceterarum Religionum qui Abbates non sunt; illis Priuilegijs non gaudere.*

Ad sextum respondetur *Secundum Alphonsum de Casarubios, in suo Cõpendio Priuilegij Mend. & non Mend. quod Moniales, licitè vti possunt eisdem Priuilegijs, immunitatibus, & gratijs, fauoribus, & concessionibus, & indultis spiritualibus, & tẽporalibus Fratrum Mendicantium, quatenus eorum sexui, & statui non cõtradicant: Ex cõcessione Sixti Quarti Bull. 19. Anno Domini 1479. Idem affirmat Bonac. in de Priuil. modo in Priuilegio*

gio non dicatur viris religiosis; tunc enim ex verbis satis colligitur, Priuilegium ad Moniales non extendi. Ordinariè tamen sicut Priuilegium concessum filijs, extenditur ad filias: cõcessum Fratribus extenditur ad Sorores: concessum bonis mariti, extenditur ad bona uxoris in locis, in quibus bona coniugũ sunt communia; ita Priuilegium concessum Religiosis, extenditur etiã ad Moniales, & Sorores. Suarez addit, quod Priuilegiũ si definitè loquatur per verba quæ significant viros, aut masculos, tunc non comprehendere feminas, nec illis cõcedi. Quando verò nomen est commune duorum, vt homo, filius, &c. tunc habet locum dicta sententia, scilicet quod Priuilegium præsertim fauorabile concessum sub masculino nomine, comprehendit sexum femininum. Item quando Priuilegium conceditur Religiosis sub hac additione viris religiosis, non extenditur ad Moniales. Idem certius est si Priuilegium cõcedatur filijs masculis, nullo enim modo extenditur ad feminas.

Ad septimum respondetur *Affirmatiuè, vt desumitur ex Leone X. Bull. 32. ipsius, & vt habetur in C.P.M. & non Mend sub verb. Communicatio Priuilegiorum. Hic est sciendum, quod Fratres, & Sorores tertij Ordinis S. Francisci sunt in triplici differẽtia. Quidam enim illorum, & primi tempore sunt illi, qui*

non

non faciunt tria vota essẽtialia Religionis, nec in Congregatione viuunt, sed in proprijs domibus, cum suis vxoribus, filijs aut famulis, prout aliæ personæ seculares, excepto quod obseruant ea, quæ in Regula per Nicolaum IV. cõprobata continentur. Alij Tertiarij sunt, qui faciunt tria vota in manibus sui ministri, vel ministræ, quia aliqui istorum post emissionem votorum, seu professionem prædicto modo factam, remanent, & viuunt in communi; reliqui verò licet faciant professionem in communitate, tamen postea non viuunt in communitatibus sui Ordinis, sed in aliquibus Eremitorijs, & Ecclesijs separatis à Conuentibus.

Ad octauum respondetur *Affirmatiuè cũ collectore, qui tale dubium in Compendio Priuilegiorum proponit, pag. 34. Nam cum indultum fuit concessum communitati, seu Ecclesiæ, & communicetur ex æquo alijs Ordinibus, ac si fuisset eis specialiter concessum, licet aliqui Religiosi, seu Conuentus, seu Prouinciæ ex voluntate, seu etiam, quod minus est, & nihil præiudicat, ex ignorantia vsi non essent aliquo Priuilegio; vel contra illud fecissent, non possunt toti Ordini, seu alijs præiudicare.*

Ad nonum etiam affirmatiuè respõdetur. *Et ratio est, quia omnes Ordines simul communicant in Priuilegijs, & independenter ab alijs, perinde ac si de verbo ad verbum, cuilibet*

bet

bet eorum dicta Priuilegia concessa fuissent. Secus dicendum est de illis, quibus non sic specialiter, & independenter communicantur, vt sunt familiares, & donati Fratrum. Quia nõ possunt vti Priuilegijs Fratrum, quia quod in fauorem ipsorum principaliter concessum est, non debet contra ipsos retorqueri, vt habetur ex iure. Vnde si Religiosi perderent Priuilegium, vel eo non uterentur similiter perderent, & non possent eo vti prædicti familiares. Cessante enim principali, & Fratrum fauore; cessat minus principale, & accessorium. Vt notatur sub ver. Cõmunicatio Priuilegij Mend. & non Mend.

Ad decimum *Rodericus tom.* 1. *quæst.* 9. *artic.* 2. *dicit, quod quando duo habent idem Priuilegium, & contendunt de aliquo, is præfertur alteri, qui Priuilegium actu habet, & practicæ in ea re, & specie, de qua agitur. Addit Mirand to.* 1. *q.* 42. *ar.* 7. *quod is præfertur, qui prius actu habuit, aut practicæ, vt dictum est, & est in possessione in ea re, & specie, de qua agitur. Confectius vero in suo Compendio Priuileg. pag.* 345. *absolutè tenet, quod differentia inter tales suborta, iuris communis dispositione terminanda sit. Et tandem ex Rota concluditur, quod priuilegiatus cõtra priuilegiatum eodemmet Priuilegio non vtitur, nisi agat de dãno euitãdo, dec.* 557. *p.* 1. *in nou.*

De

De alijs dubijs, quæ contingunt circa personas in Priuilegijs, cum eorum solutionibus. Cap. VIII.

PRimum. Priuilegiatorum in differentijs quis prænaleat.

2 Priuilegiati an possint compelli ab Episcopo, sua ostendere Priuilegia.

3 Priuilegium alleganti, an credatur.

4 Contra Priuilegium veniens, an sibi præiudicet.

5 Priuilegiati a ferendo testimonio, an possint compelli ferre testimonium.

6 An persona priuata possit cedere Priuilegio.

7 Priuilegio exemptionis, an Abbas possit renunciare.

8 An in Priuilegijs requiratur acceptatio recipientis.

9 Per Priuilegium à quibus quis eximitur.

10 An habens Priuilegium ratione studij, si non studeat ammittat Priuilegium.

Ad

Ad primum respondetur, *ex Confectio in Compendio Priuilegiorum pag.431.quod licet Regulares omnes sint equè priuilegiati, si tamen contenderint pro Ecclesijs, domibus, aut locis, de nouo recipiendis; ille præualet Ordo, qui prius est in loco: Et prius in eo domum habet ædificatam: cum iuxta vulgatam iuris regulam, qui prior est tēpore, potior sit in iure.*

Ad secundum respondetur, *Quod Episcopi possunt compellere, & monere priuilegiatos, vt sibi ostendant sua Priuilegia, &c. vt videāt an sint taliter exempti à sua iurisdictione, quod non possint eos punire pro suis criminibus; vt habetur ex c.7.de priuil in 6. Decret. Debent tamen ostendi, vt dicitur in textu supradicti capitis, in loco congruo, & securo, aut coram aliquibus prudentibus viris, omni suspicione carentibus.*

Priuilegiati tenētur ostē. dere Priuilegia.

Ad tertium respondetur *negatiuè. Alleganti enim Priuilegium non creditur, nisi illud ostendat. Abb.super cap.7.Porrò, de priuil.*

Ad quartum respondetur, *Quod veniens contra Priuilegium sibi datum, sibi nō præiudicat, si in Priuilegio fuit decretū appositum, decernens irritum, & inane, quicquid contra Priuilegium fuisset attentatum. Rot. decis.3. de Priuil.in antiquis.*

Quando veniens cōtra Priuilegium nō sibi præiudicet.

Ad quintum respondetur, *Quod priuilegiati à ferendo testimonio, interdum possunt*

Quando priuilegiati pos sint cõpelli contra tenorem Priuilegij.

cõpelli ferre testimoniũ, & peccant non ferendo testimoniũ. Vnde Host. dicit, ꝙ Priuilegium non excusat ex toto, sed tunc solùm, cũ alij testes haberi [redacted] *possunt. Vnde cõcludit, quòd inter priuilegiatos & non priuilegiatos hæc est differentia, quòd nõ priuilegiati coguntur, etiã si per alios fides fieri possit; priuilegiati verò non coguntur, nisi vbi per alios veritas haberi non potest. Abb.c.Causam, de testib.cogendis.*

Quando priuilegiatus possit renũciare Priuilegio.

Ad sextum respondetur *cum Bonacina in de Priuilegijs, quòd, quando Priuilegium est priuatum, ille, in cuius fauorem concessum est, potest renunciare Priuilegio: at persona priuata non potest cedere Priuilegio, in fauorem communis boni concesso; Vnde, quando Priuilegium concessum est in fauorem plurium, sed commodum vnius nõ est separabile à commodo alterius; nullus potest Priuilegio cedere cũ detrimento alterius, inuito eo, in cuius fauorem Priuilegium principaliter concessum est. Vnde filij nõ possunt cedere Priuilegio, quod principaliter vergit in commodũ, & vtilitatem parentum. Pari ratione nec vxor, incõsulto marito. Simile habetur, atque dicitur in de Iure Abb.tom.*1. *disput.*16. *quæst.*9. *quòd quilibet potest Priuilegio, & fauori suo renunciare, dummodò ius superioris, aut tertij non tangat. Vnde, si Abbas, vel alius Prælatus regularis alicui Priuilegio renunciauerit, nihil nocet.*

Abbas non potest renũciare Priuilegio suę Religionis.

Quia

Quia Priuileg.nõ illi,sed Religioni cõcessũ est.

Ad septimum respondetur, *Quod Abbas sine consensu sui Conuentus,non potest renunciare Priuilegio expemptionis a iurisdictione Episcopi.Rot.decis.22.p.2.in nouiss.*

Ad octauum respondetur, *Quod Priuilegiorũ quoddam est concedens per se,ac principaliter aliquod ius,dignitatem,aut potestatem. Aliud verò per se, & principaliter tollẽs onus aliquod,vel impedimentum,aut obligationem, quam Princeps potuit imponere, & potest postea auferre per modũ dispensationis.In priuilegijs primi generis requiritur acceptatio recipientis, nõ autẽ in Priuilegijs secũdi generis.*

Ad nonum respondetur *à P. Miranda in de Priuilegijs,quod per Priuilegium eximitur quis ab ea obligatione,qua alij tenẽtur. Exemptio ne dnm per Priuilegiũ, sed etiã per præscriptionẽ acquiritur,decis.145 p.1. in nouiss.*

Ad decimum respondetur,*Quod beneficiatus habens Priuilegiũ, vt in absẽtia,causa studij faciat fructus suos, si nihil studeat, reuera non facit fructus suos. Quia seruitiũ Ecclesiæ cõmutatum est in studium, vnde non studens, ita abutitur Priuilegio, vt fundamentum Priuilegij auferat, & contra intentionem concedentis faciat,& acceptationem stipendij sine labore, seu seruitio; iniustam reddat, ac proinde ipso facto priuetur fructu Priuilegij.*

Priuilegio abutentes, ipso Priuilegio priuãtur

De alijs dubijs, quæ oriuntur in Priuilegijs circa personas, cum eorum resolutionibus. Cap. IX.

PRimum. Quibus Priuilegijs gaudeant Reges & Principes.

2 Priuilegia Patriarcharũ, Archiepiscoporum, & Episcoporum Summo Pontifici assistentium, quæ sint.

3 An ex Priuilegio, pallium possit competere Episcopo.

4 Priuilegium patris an transeat in filios.

5 An Priuilegium concessum marito censeatur concessum vxori.

6 An Priuilegia tributa militibus seculi extendantur ad milites Dei.

7 An socij priuilegiati gaudeant eodem Priuilegio, quo priuilegiatus.

8 An Priuilegium concessum scholaribus, censeatur concessum eorum famulis.

9 An Clerici vxorati gaudeant Priuilegio clericali.

10 An Clerici buffones perdant Priuilegiũ clericale.

Ad

Ad primum respondetur, *Quod Reges, & Principes in regnis suis & principatibus gaudent eisdem Priuilegijs, quibus Imperator in vniuerso, vt docent Bart. Baldus, & Abbas c. Quæ in Ecclesiarum, de constit.*

Ad secundum respondetur, *Quod isti Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini gaudent multis Priuilegijs temporalibus, & spiritualibus, & quo ad se, & quo ad alios, quæ videre licet Constitutione* 12. *Iulij III. &* 32. *Gregorij XV. Et similibus Priuilegijs gaudent Capellani Summi Pontificis ex concessione Gregorij XIV. relata, & confirmata in Constitutione* 49. *Gregorij XV. & hic non assignantur ad euitandam prolixitatem, & quia dictos Illustrissimos Dominos, ea ignorare non credimus.*

Ad tertium respondetur, *Quod licet regulariter pallium competat Archiepiscopis, & Primatibus superioribus, putà, & Patriarchis; tamen ex Priuilegio speciali, potest etiam competere Episcopo.*

Ad quartum respondetur, *Quod Priuilegium quandoque conceditur ratione dignitatis innatæ, & quandoque respectu officij, seu professionis. Primo casu transit in filios,* 2. *casu transit in filios legitimos patre viuente, & nõ alias. Abb. c. licet, de censib. & exact. sed de hoc melius in sequẽti responsione ad quintũ.*

Ad quintum respondetur *Ex Suarez in suo tractatu de Priuilegijs, quod Priuilegiũ potest concedi marito dupliciter, scilicet ratione nobilitatis innatæ, ex vi generis, & stirpis; & ratione muneris, magistratus, & officij, vtroque modo mulier gaudet Priuilegijs mariti, sed aliter, & aliter; nam primo modo vxor etiam non nobilis, per matrimonium cum persona nobili, ita fit nobilis ex dispositione iuris, vt retineat nobilitatem etiam mortuo marito; & quando talis nobilitas mariti pendet in esse, & conseruari, à munere, tunc vxor gaudet Priuilegijs mariti, illo viuente: alias vero gaudet eius Priuilegijs etiam post mortem.*

Quæ de vxore & marito dicuntur, ad patrem & filios applicanda erunt. Nam filij in hoc æquiparantur matri, comparatione facta ad patrem, seu maritum. Et sæpè filiorum nomine veniunt nepotes, ex benigna iuris interpretatione. Et finaliter concluditur, quod Priuilegium, quod habet mulier in dote repetenda, quod est, quod præferatur cæteris creditoribus, extenditur etiam ad sponsam de futuro, quæ dedit dotem, cuius non est sequutum matrimonium. Idem habet pupillus contra tutorem, vt præferatur cæteris creditoribus. Et expendens in funus præfertur cæteris creditoribus, vt habetur in

iure

iure ciuili de Priuilegijs creditorum.

Ad sextum respondetur, *Quod Priuilegia tributa militibus seculi, debent obseruari quo ad milites Dei, in casibus, in quibus subest eadem ratio. Abb. c.venerabilis, de praeben. & dignitatibus, quod intelligimus, dummodo non repugnent eorum statui.*

Ad septimum respondetur, *Quod socij priuilegiati gaudent eodem Priuilegio, quo priuilegiatus, quando scilicet Priuilegium esset inutile priuilegiato, nisi socij eodem Priuilegio gauderent. Abb. c.quam sit de Iudaeis, & Sarac.*

Ad octauum respondetur, *Quod Priuilegium concessum scholaribus, censetur etiam concessum eorum famulis, & cum eis habitãtibus. Abb.cap.ex rescripto de locato, & conducto. Hic etiam dicitur ab Abbate, quod statutum, quod potest esse fauorabile, & odiosum, respectu fauoris extenditur, respectu vero odij restringitur.*

Ad nonum respondetur *negatiuè circa solutionem gabellae, & similium. Affirmatiuè vero quo ad forum in criminibus, & quo ad caput, si quis suadente diabolo. Abb. cap. cum olim, & c. ex parte de Clericis coniugat. Vide* Concil. *Trident. sess.23. cap. 6. Barbosa verbo* Clericus, *refert decisionem* Congre*gationis immunitatis, scilicet quod non ince-*

dentes in habitu, nec inseruientes diuinis, non gaudeant Priuilegio fori. 2. Augusti 1619

Ad decimum affirmatiuè dicitur, *Quod exercentes illam artem ignominiosam per annum, perdunt omne Priuilegium clericale. Ita Abbas c. ex tenore, & c. Perpendimus, de sent. excomm.*



De

De alijs duobus dubijs circa personas. Cap. X.

PRimum. Priuilegio immunitatis, qui nõ gaudeant.

2 An per Priuilegium possint absolui nominatim excommunicati.

Ad primum respondetur, *Quod peccantes sub spe veniæ, fortius delinquunt, vnde in cap. decimo de immunit. dicitur, quod nonnulli impunitatem suorum excessuum, per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, vel earum Cæmeterijs committere non verentur, vnde dicit Papa tales non debere gaudere immunitatis Priuilegio, quo faciunt se indignos. Gloss. c.6. Inter alia de immunit. Eccles.*

Ad secundum respondetur *Cum P. Mirãda tom. 1. sui Manualis, q. 35. art. 22. quod probabile est eos posse absolui, & signanter ex Conc. Trid. sess. 25. c. 12. vbi mandatur, quod nominatim excommunicati, ex quo fraudant, decimas, vel impediunt; vt non soluantur, dum parti satisfaciant, quibus satis innuitur, quod præmissa satisfactione partis, benè possint absolui.* Nominatim excõmuni cati, an virtute Priuilegiorũ possint absolui.

Qui.

Quibus Priuilegijs gaudeant Milites, & Equites Religionum: Quibus Monachi: Quibus Canonici Regulares: Quibus alij Religiosi: Quibus Confraternitates: Et quibus quamplures etiã seculares. Cap. XI.

De Militibus regularibus.

Milites regulares ij vocantur, qui tribus Religionis votis adstricti, ad militandum cõtra infideles sunt instituti, & obligati: quales sunt Ordinum S. Iacobi, S. Ioannis Calatrauæ, Alcantaræ, &c. Inter quos tria hominum genera reperiuntur. Alij sunt viri nobiles, qui tanquam quidam sacri milites, instar Machabeorum, pro fide, & lege Christi cum Turcis, & Saracenis fortiter dimicant. Alij sunt Clerici, qui ad diuina ministeria obeunda recepti, in ipsorum Ordinum domibus, in choro cantant diuinas laudes, missas dicunt, confessiones audiunt, & solent Ecclesijs ipsis Ordinibus subiectis præfici. Alij vero sunt, qui ad modum Conuersorum Religionum Mendicantium, seu Monachalium, tum Clericis, tum Militibus in obse-

obsequijs domesticis inseruiunt. Lez. tom.2. c.5. Sunt quoque alij Ordines militares, qui tantum duo vota religiosa emittere videntur, videlicet obedientiæ, & castitatis coniugalis, quales sunt S. Mauritij, & S. Stephani.

Milites S Benedicti de Auis, perfruuntur omnibus Priuilegijs concessis, & concedendis Militibus S. Iacobi de Spatha, de Calatraua, & Alcantara. Ita eis concessit Gregorius XIII. Const. 32.

Milites S. Iacobi de Alcantara perfruūtur omnibus gratijs, & Priuilegijs concessis, & concedendis Ordini Sancti Benedicti Congregationi Cistercienfium. Ita eis concessum fuit à Leone X. Constit. 44. & eisdem Priuilegijs fruuntur Milites S. Iacobi de Calatraua ex Const. 17. Iulij II.

Milites S. Lazari gaudent Priuilegijs concessis à Pio IV. in Bulla, Inter assiduas, num. 95. reformata à Pio V. in Bulla 28.

Milites Sancti Stephani habent Priuilegium à Paulo V. Constitutione 46. retinendi annuas pensiones ducatorum 400.

Monachi Cistercienses reformati Beatæ Mariæ gaudent Priuilegijs quorumcunque Monachorum, & Ordinum Mendicantium concessorum & concedendorum ex Const. 23. alias 18. Pauli V.

Monachi Montis Oliueti gaudēt Priuilegijs

legijs Monachorum Cassinensium ex Const. 9. Pij II.

Monachi Montis Virginis gaudent Priuilegijs Abbatum Camaldulensium ex Constit. 1. Paul. V.

S. Basilij Monachorum Congregatio, singulis indultis Congregationis Cassinensis perfruitur ex concessione Greg. XIII. Const 58.

Abbas, & Congregatio Cælestinorum, eiusque personæ, & loca, gaudent Priuilegijs, & gratijs Congregationis Cassinensis, & aliorum Monachorum quarumcunque Congregationum ex Const. 14. Vrbani VIII.

Monachis Vallis Vmbrosæ Priuilegia, Monachorum Cassinensium concessa, & concedenda communicauit Iulius II. Const. 13.

S. Benedicti Congregatio Siluestrinorum munita fuit communione Priuilegiorum Mēdicantium, & non Mendicantium à Paulo V. Const. 8. vel 38.

Monachorum Eremitarum S. Hieronymi de obseruantia Priores, hoc gaudent Priuilegio, quod ad vitam eliguntur ex Const. 17. Gregorij XIII.

Auditores Rotæ Romanæ sunt priuilegiati circa recitationem horarum à Clemente VIII. Constit. 13. & lucrantur indulgentias, stationum Vrbis, visitando propriam Capellā, & gaudent alijs gratijs ex Bulla 3. Leonis X.

Præ-

Prælati Referendarij gaudent hoc Priuilegio, quod in illis Monasterijs, quæ pro tempore in commendam obtinent, quorum Abbates pro tempore existentes, Mitra, & alijs Pontificalibus insignijs ex Priuilegio Apostolico, vel alias vti consueuerunt, ipsi quoque vtuntur Mitra, Annulo, & Baculo pastorali, nec non solemnem benedictionem post Missarum, Vesperorum, & Matutinorum solemnia possunt dare. Exemptique sunt ipsi, & eorum familia à iurisdictione Ordinariorum, &c. ex Bulla 23. Pauli III.

Visitatores Apostolici, Episcopi scilicet possunt tam intra Vrbem, quàm etiam extra eiusdem Vrbis districtum, in omnibus Ecclesijs, etiam Patriarchalibus, nec non Monasterijs Mendicantium, & non Mendicantium tam virorum, quàm mulierum, etiam S.R.E. Cardinalibus subiectis, ratione tituli; Pontificalia exercere. Ex concessione Vrbani VIII. Bulla 14.1624.

Curiales Romanam Curiam sequentes, etiam Ecclesiastici, & si Regulares fuerint, qui administrationem, aut dignitatem obtinẽt, etiam Episcopalem, siue Abbatialem, &c. liberè disponere possunt etiam ad fauorem incapacium, de bonis in Alma Vrbe, & infra decem milliaria, quamuis ex fructibus bonorum Ecclesiasticorum acquisitis. Ex concessione Sixti

Quarti

Quarti Bul.8. Et non possunt conueniri extra Romanam Curiam ex Bull.4.Eugenij IV.

Cantores Capellæ Pontificiæ gaudent hoc Priuilegio, quod censentur veri, & indubitati familiares pro tempore existentis Romani Pōtificis, & continui commensales, ac ex Palatio Apostolico solitam portionem panis, & vini percipiunt, & qui spatio 25. annorum Capellæ deseruiunt; ex tunc ab omni illius onere, & seruitio sunt exēpti: & gaudent tamen omnibus Priuilegijs, prærogatiuis, gratijs, &c. vt alij Cantores. Et eodem modo gaudent illi, quos graui ægritudine aut corporis, aut vocis imbecillitate detineri contigerit. Ex concessione Sixti V. Bull.38.

Inquisitores Religiosi Priuilegio exempti sunt ab obedientia sui Superioris, quo ad omnia tangentia executionem dicti officij, vnde possunt ire Romam, ibique morari non obtenta, vel petita licentia quorumcunque Superiore, vt notat Rod.tom.1. qq.regul.q.81.ar.5.

Ciues Incliti Populi Romani gaudent hoc Priuilegio inter alia, quod Prioratus, Canonicatus, & officia, ceteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, in dicta Vrbe, & in illius districtu existentia, non nisi Romanis Ciuibus conferri debent ex Bull. 1. Leonis X. & decernit irritum, & inane si secus scienter, vel ignoranter ex quauis causa contigerit at-

attentari. Modò tamen videtur huiusmodi Priuilegium esse dilatatum etiã quo ad alios.

Assumpti ex Religionibus ad Cardinalatum, Episcopatũ, &c. gaudent gratijs, ac Priuilegijs suæ Religionis, quæ respiciunt commodum animæ, vel corporis ipsorum: non autem quæ redundant in damnum, aut incommodum Religionis, aut Monasterij, ex Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 18.

Cardinales gaudent signanter ijs Priuilegijs, quod sunt veluti patritij Consules, & Senatus Imperatoris, habentes sanctum culmen potentiæ, & excellentiæ, quos Imperator loco patrum honorabat. Et sunt Principes terræ, columnæ Ecclesiæ, Reges, vel pro Regibus habendi, & nouissimè à Sanctiss. D. N. Vrbano titulo Eminentissimorũ sunt decorati. Et licet Ordo Episcopalis presbyterio maior sit, tamen in eiusmodi prælationibus, officiũ & dignitas, siue iurisdictio præponderat Ordini. Et Cardinalatus dignitas dignitate Archiepiscopali est maior, quia cũ illa priuatæ vnius patriæ præsit vtilitati, ista publicæ totius populi Christiani. Illa vnam dumtaxat regit Ecclesiam, ista cum Sede Apostolica, vniuersas. Et super hos Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium quiescit, & substentatur. Ita ex Eug. IV. Bull. 15.

Cubicularij Papæ sunt exempti ab omnibus decimis, excepta subuentione contra infideles,

deles, possunt Ordinarij in tribus diebus festi-uis à quocunque Antistite, sine licentia Ordinarij, & gaudēt aliјs Priuilegijs, & signāter p absolutione à peccatis, &c. ex Cōst. 4. Greg. XV.

Canonici Regulares Priuilegium habent, vt contra eorum bona, & iura nō currat præscriptio, nisi sexaginta annorum, à Sixto IV. Const. 10. Et possunt admittere ad ingressum, qui arctiorem Religionem vouerunt, & gaudent omnibus gratijs, & priuilegijs Cassinensium Monachorū. Et S. Saluatoris Bononiēsis, ex Const. 33. Greg. XV.

Canonici S. Saluatoris supradicti, gaudent magnis Priuilegijs, vt est videre in Const. 30. Iulij II.

Capuccini gaudent Priuilegijs Camaldulensium, & Fratrum Minorum, ex Constit. 21. Clementis VIII.

Ciues Romani habent Priuilegium priuatiuè quo ad alios, circa obtinenda beneficia Ecclesiarum Cathedralium Vrbis, ex Const. 1. Leonis X. quod etiam notatum est superius.

Clerici Regulares minores, gaudent Priuilegijs Clericorum Regularium Theatinorū, ex concessione Greg. XIV. Const. 2.

Clerici Regulares S. Pauli decollati, gaudent Priuilegijs Canonicorum Regularium Lateranensium, ex Const 5. Pauli III.

Clerici Regulares de Somascha, gaudent om-

omnibus Priuilegijs Ordinibus Mendicãtium concessis, & concedendis, ex Const. 37. Pauli V.

Clericorum Regularium Theatinorum Congregatio, gaudet Priuilegijs omnibus, concessis Canonicis Lateranensibus, & quorumuis Ordinum, ex Const. 38. Clem. VIII.

Cruciferi fruantur Priuilegijs Ordinum Mendicantium, ex Constitut. 125. dico 13. Gregorij XIV.

Fratres Eremitæ S. Petri de Pisis perfruantur Priuilegijs Ordinum Mendicãtium, ex Constit. 125. Pij V.

Fratres Iesuati fruuntur Priuilegijs Mendicantium, ex Constit. 50. Pij V.

Fratres Minimi S. Francisci de Paula, gaudent Priuilegijs Ordinum Mẽdicantium, ex concessione Pij V. Constit. 49. & Iulij II. Const. 10.

Fratres Minores Conuentuales reformati S. Francisci, fruuntur Priuilegijs, & gratijs Fratrum Conuentualium, ex Constitut. 68. Sixti V.

Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum in Regno Portugalliæ existentes, gaudent omnibus gratijs, & Priuilegijs concessis Fratribus eiusdem Ordinis, existentibus in Prouincia Castellæ Legionis, ac Bethica, ex Const. 2. Pauli III.

Aromatarij habent Priuilegium priori-

tatis contra quoſcunque priuilegiatos, ex Conſtitutione 47. Clementis VIII. Hoc inter alia Religioſorum Priuilegia poſuimus; quia etiam aliqui Religioſi Aromatarij reperiuntur in quibuſdam Monaſterijs, & conſequenter hoc eodem Priuilegio gaudent.

Fratres Ioannis Dei obtinuerunt Priuilegia Mendicantium, & Congregationis Regularium Miniſtrantium infirmis, ab Vrbano VIII. Conſt. 48. vel 18.

Clerici regulares Pauperũ Matris Dei, Scholarum piarum, gaudent hoc Priuilegio, quod ſunt exempti à proceſsionibus, & ab alijs actibus publicis, extra Vrbem perpetuis futuris temporibus: in Vrbe vero; arbitrio Romani Pontificis Vicarij pro tempore exiſtentis, ex Conſt. centeſima Vrbani VIII.

Fratrum Minorum de Obſeruantia Syndici, & Procuratores cum ſuis liberis, eorum Fratrum Priuilegijs gaudent, ex Conſt. 19. Clementis VIII.

Fratres Sancti Spiritus in Vrbe, gaudent omnibus Priuilegijs Monachorum Caſſinenſium, ex conceſsione Sixti IV. Conſt. 22.

Confratres Sanctiſsimi Corporis Chriſti, gaudent omnibus Priuilegijs, & gratijs ſpiritualibus & temporalibus, quibus Confratres Saluatoris ad Sancta Sanctorum, nec non Charitatis, Campi Sancti, & aliarum

plu-

plurium Confraternitatum, Romanæ Vrbis, ex concessione Pauli III. Bull.20.

Confraternitas, vel Archiconfraternitas B. Mariæ Visitationis Orfanorum, gaudet singulis Priuilegijs, quibus Confraternitas Sanctissimi Corporis Christi, & aliarum Confraternitatum de Vrbe, ex concessione Pauli III. Bull.26.

Conuertitæ gaudent hoc Priuilegio, quod eis sunt applicata bona Meretricum Vrbis, ex Constit.39. Leonis X. & 14. Clem. VIII.

Neophiti, siue Iudæi, & Infideles gaudent hoc Priuilegio, quod conuersi non perdunt eorum bona, tenentur tamen restituere aliena, si personæ damnificatæ notæ sint, & ciues efficiuntur loci, in quo baptizantur, ex concessione Pauli III. Bull. 32.

Agriculturam exercentes in Vrbe, & statu Ecclesiastico, Priuilegijs decorarunt Pius V. Const.19. Paulus V. Const.70. & Clemens VIII. Const.72. Qui concessit, quod etiam Clerici in terris proprijs, licitè eam exercere possint. Priuilegiati sunt exercẽtes agriculturam.

Archipresbyter S. Petri in Vaticano habet eandem iurisdictionem, quam habet Archipresbyter S. Mariæ Maioris, ex Const. 35. Pauli III.

Vicarius Papæ habet iurisdictionem visitandi Monasteria etiam exempta in Vrbe,

ex Const. 36. Pauli III. & ad ipsum spectat Ecclesiarum Vrbis consecratio.

Archiconfraternitas Sanctissimi Crucifixi, die festo Sanctæ Crucis potest liberare vnum reum mortis, ex concessione Pij Quinti Const. 30.

Archiconfraternitas Confalonis quotannis liberat duos ad triremes, vel ad mortem condemnatos, ex concessione Gregorij XIII. Constit. 38.

Confraternitas SS. Benedicti, & Scholasticæ, singulis annis in festiuitatibus Sanctorum istorum potest liberare vnum reum capitali pœna plectendum, ex concessione Pauli V. Const. 87. Item potest aggregare alias Confraternitates eiusdem nominis, & instituti, illisque communicare Priuilegia, gratias, &c. ex concess. Gregorij XV. Const. 43.

Confraternitas Pietatis Carceratorum singulis annis, feria 2. post primam Dominicam Quadragesimæ liberat vnum ex capitaliter condemnatis, ex concessione Sixti V. Constitut. 95.

Confratres seculares, Chordæ Corigiæ, Scapularij, &c. idem habent Priuilegium quo ad indulgentiã, & remissiones peccatorum exceptis his, quæ possent perturbare iurisdictionem Episcoporũ, conformiter decreto Cõc. Trid. sess. 24. cap. 11. Rod. to. 1. qq. 55. art. 16.

Car-

Carmelitæ Discalceati Congregationis Italiæ, possunt erigere Confraternitates Laicorum, sub denominatione B. Mariæ de Mõte Carmelo, ex concessione Clementis VIII.

Familiares Cardinalium actu seruientes, sunt ab Ordinariorum iurisdictione exempti, ex Leone X. Const.10.

Alia & alia Priuilegia faciliter habebunt huiusmodi supradictæ Confraternitates, & multæ aliæ, sicut de facto habent, vt deducere potuimus ex libro Italicæ nominato Tesori nascosti dell'Alma Città di Roma. Sed quia ad manus nostras non peruenerunt, neque in Bullario reperimus, ideo ea assignare non potuimus.

Et tãdem vt terminemus de hac materia loqui, cum religiosis; sicut à religiosis personis incepimus; notamus, quod Carthusienses gaudent Priuilegijs Mend. & non Mend.concessis & concedendis ex Bull.42.Gregorij XV.

Et Prælati Congregationis S. Bernardi, Monachorum Cistercienſium regularis obseruantiæ, fiunt ex vniuerso numero Sacerdotum dictæ Congregationis, qui minora officia laudabiliter biennio exercuerunt, ex Constit.10. Sixti V.

Auctoris rationabilis excusatio.

LEctores quæso hic sciant, quod non potuimus attendere ordinem Religionũ, neque prospicere, quæ antiquiores, & quæ digniores fuerint, quia sequuti sumus ordinem Bullarum, & earum indicis, & ideo indulgeant Auctori, & precipuè quia huiusmodi scripta non sunt Canones, vt possint præiudicium inferre.



De

De dubijs, quæ contigere possunt circa locum in Priuilegijs, cum eorum resolutionibus.
Cap. XII.

PRimum. An Priuilegia determinata ad aliquem locũ, valeāt solum pro illo loco.

2 An Priuilegia vni domui concessa, intelligantur extendi ad alias domos.

3 An communicatio Priuilegiorum se extendat ad Altaria priuilegiata.

4 In communicatione Priuilegiorum an veniant intelligenda, quæ alicui loco, seu Cōuentui sunt concessa.

5 Priuilegium concessum Monasterio, & Capellis suis an extēdatur ad Capellas postmodum acquisitas.

6 Priuilegium cōcessum Monachis alicuius Monasterij, an pro eis valeat existentibus in alio Monasterio.

7 An laicus possit priuilegiare Ecclesiam.

8 An Hospitalia gaudeant Priuilegijs Ecclesiarum.

9 Priuilegium euntium in præsidium Terræ Sanctæ, quodnam sit.

10 Priuilegiatus si ædificet contra priuilegiatos, quis debeat præualere.

Ad primum respondetur, *Quod Priuilegiũ determinatum ad aliquem locum, valet solùm pro determinato loco, quia non valet vltra intentionem concedentis. Vnde Priuilegium Papæ ad concedenda lacticinia, & oua diebus probibitis in Hispania; non extenditur ad Italiam, vel Galliam.* ***Et*** *sicuti Priuilegium personale non extenditur de vna persona ad aliam, ita concessum pro certo loco, non extenditur vltra illum locũ. Ita Suar. l. 8. de priuil. cap. 26. Item constitutio localis non admittit extensionem, vt si fiat pro peculiari diœcesi. decis. 26. corã R. P. D. Pirouano 17. Dec. 1635.*

Priuilegium vnius domus an extendatur ad alias domos.

Ad secundum videtur respondendum affirmatiuè, *quia vt notauimus ex Confectio in suo de Priuilegijs pag. 171. Clemens VIII. declarauit Priuilegia, Gratias, & Indulgentias vni domui Ordinis Minimorum concessas, ad omnes & singulas eiusdem Ordinis domos, susceptas & suscipiendas extensas esse, ac si singulis domibus specialiter concessa fuissent. Paulus III. Bull. 15. pro Cassinensibus, Priuilegia cuiusuis particularis Monasterij ipsius Congregationis, extendit ad omnia Monasteria ipsius Congregationis. Iulius II. Bull. 30. hoc idẽ cõcessit Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris, sub his formalibus verbis, scilicet Omnia & singula Priuileg. ac Indulgẽtiæ, &c. concessa & in posterum cõcedenda vni domui,*

omni-

omnibus domibus esse concessa. Et idem Iulius II. Bull. 26. concessa vni Monasterio Minimorum, toti Ordini communicauit. Vt habet Ioannes de la Cruz in de priuil. cap.4. Lezana tamen vult tom.2.c.1.n.52. talia Priuilegia debere intelligi cum hac limitatione, scilicet quando in alijs Conuentibus procedit eadem, similis, vel æquiualens ratio.

Ad tertium respondetur *negatiuè. Per Priuilegium enim communicationis generaliter concessum, Altaria priuilegiata vni Ecclesiæ Regularium concessa, non communicantur ceteris Ecclesijs; tum ceterarũ, quam eiusdem Ordinis. Quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie concessurus non esset; Et quia per Priuilegium communicationis generaliter concessum, non communicantur Priuilegia exorbitantia, quæ rarò conceduntur. Rota. Altaria priuilegiata, vt habetur in de Iure Abbatũ Tamb.tom.1. disp.17.q.2. rarò conceduntur à Sede Apostolica. Idem dicitur de decimis non soluendis, & de collatione Ordinum, vt fuit decisum in Rota 29. Nouembris 1603. & decis.214.par.2.in Recent. Et quo ad Ordines, die 28. Iunij 1631. In generali enim communicatione non veniũt illa, quæ indigent speciali expressione, & non solent concedi, vel saltem non nisi cum magna difficultate.* Priuilegia quo ad Altaria priuilegiata, non communicantur.

Ad

De Priuilegio S. Mariæ Angelorum, & Collis Madij

Ad quartum respondet *Pater Miranda tom.1.q.46.ar.7. quod in Priuilegiorum communicatione etiam veniunt intelligenda, quæ alicui loco, seu Conuentui sunt concessa. Vnde Rodriq.in suis qq Regul.tom.1. q.55. artic.18. hoc tenet de Priuilegio concesso S.Mariæ Angelorum. Quo stante, idem videbitur de nostra Indulgẽtia S.Mariæ de Colle Madio. Sed de hoc melius sub ver.Indulgentia.*

Ad quintum respondetur, *Quod Priuilegium concessum Monasterio,& Capellis suis, non extenditur ad Capellas postmodũ acquisitas. Nam cum hoc connumeretur inter Priuilegia odiosa, quæ sunt præiudicantia iuri Ordinariorum, ideò restringenda. Abb.c. cum Capella, de priuil.*

Ad sextum respondetur, *Quod stat Priuilegium quocunque Monachi se conferant, dummodo semper sint Monachi illius Monasterij, alias secus. Abb.cons.32.par.2.*

Ad septimum respondetur *affirmatiuè; priuilegiauit enim ius Ciuile Ecclesiam in causa præscriptionis. Abb.cap. cum nobis,de præscriptione.*

Hospitalia gaudẽt Priuilegijs Ecclesiarum.

Ad octauum respondetur, *Quod Hospitalia,& alia loca Religiosa, gaudent Priuilegijs Ecclesiarum.Abb.c.cum ex litteris, de cõsuet. & c.cum sit generale,de foro compet. & c.accedentibus,de priuil.*

Ad

Ad nonum respondetur, *Quod inter alia Priuilegia eorum, qui vadunt in subsidium Terræ Sanctæ, vnum est Priuilegium plenæ remissionis, quod vulgariter dicitur remissio pœnæ, & culpæ.*

Ad decimum respondetur, *Quod ædificāt ex Priuilegio contra alios priuilegiatos, recentius Priuilegium, & clausis validioribus, magisque prægnantibus munitum præualere debet, decis.* 530. *Paleoti A.R.R.* Qui preualeat in Priuilegijs.

De duobus alijs dubijs, quæ contingere possunt in Priuilegijs circa locum, cum eorum resolutionibus. Cap. XIII.

PRimum. An locus destructus recuperet Priuilegium, si postea reuiuiscat.

2 Priuilegio personali an possit vti priuilegiatus extra territorium.

Ad primum respondetur *affirmatiuè. Quod dictum intellige, nisi fuerit destructus auctoritate Superioris. Quia tunc ex toto perditur Priuileginm. Item dicit Innocentius, quod si Priuilegium datum est Ordini, destructo Ordine, tollitur Priuilegium. Si verò datur* Mo-

Monasterio, seu possessionibus Monasterij, destructo Ordine non tollitur Priuilegium. Abb.c.Abbate,de verb.signif.

Ad secundum respondetur, *Quod quando Priuilegium est mere personale, potest priuilegiatus vti dispensatione sua extra territoriū concedentis, verbi gratia, comedere lacticinia in diebus prohibitis. Et inter alias rationes vna est, quia arduum & molestum esset tali personæ, vbicunque peregrinaretur Prælatū loci,& sibi alienum conuenire,atque rationem suam,vel necessitatem aperire. Et quod duriùs & difficiliùs est, persuadere,& probare, vt dispensationē pro illo loco ratam haberet. Ergo verisimile est talem dispensationem proprio Prælato ita esse commissam, vt vbicunque valeat. Suar.in de priuil. Et confirmatur quia Prælatus particularis non dispensat in hoc iure, nisi ex voluntate & concessione Pontificis expressa, vel tacita. Sed si Pontifex dedisset Priuilegium, vbique valeret; ergo & datum à proprio Prælato. Potest tamen Prælatus territorij prohibere ne aliquis aduena vtatur talibus dispensationibus sine sua notitia, & ratihabitione, quando talis vsus earum esset publicus, & in actibus, & moribus communibus toti populo. Quia hoc est valde consentaneum rationi, & ad debitū ordinem, & ad tollendū inconuenientia, quæ sequi possent, necessariū.*

Se.

Sequitur de Priuilegijs, quibus gaudent Collegia.

COllegium Germanicum gaudet Priuilegijs studij Vrbis, ex cõcessione Greg. XIII. Const. 14.

Quæ in specie sint Priuilegia studij Vrbis, non assignamus, quia si omnia Priuilegia sic specificè notare voluissemus, penè totum Bullarium in hoc opere fuisset inserendum. Vltra quod præsupponimus interesse habentes in Priuilegijs, ipsa apud se retinere, & quandocunque voluerint, posse videre.

Collegium S. Hieronymi de Vrbe, aliorũ de Vrbe Collegiorum Priuilegijs gaudet, ex concessione Pauli V. Const. 8.

Collegium Maronitarum gaudet Priuilegijs studij Generalis Vrbis, ex concessione Gregorij XIII.

Collegium Montis Alti, studij Bononiensis, fruitur Priuilegijs locorum piorũ eiusdem Ciuitatis, ex concessione Sixti V. Const. 89.

Collegium Scotorum gaudet Priuilegijs studij Vrbis, & aliorum Collegiorum ex concessione Clementis VIII. Const. 73.

Collegium Gregorianum Monachorum aduenarum S. Benedicti, est exemptũ ab omni superioritate Vicarij Vrbis, & visitatur ab altero

tero de duobus Protectoribus generalibus Ordinis. Sic fuit concessum à Greg. XV. Const. 6.

Collegium Clementinum, & Collegium Cælestinum habent propria Priuilegia à Clemente VIII. & Vrbano VIII.

Collegium Illiricum ex indulto Vrbani Octaui in Const. 64. & Pragense in Const. 66. & Viennense in Constit. 67. & Fuldense in Const. 96. supradicti Pontificis, gaudent omnibus Priuilegijs studij generalis Almæ Vrbis, & omnium aliorum Collegiorum quarumcunque nationum, & Seminariorum tam in Vrbe, quàm extra illam instructorum.



De

De dubijs, quæ contingere possunt in Priuilegijs circa tempus, cum eorum resolutionibus. Cap. XIV.

PRimum. An consuetudo cadat sub nomine Priuilegij.

2 Quando Priuilegium cesset & non cesset, per mortem concedentis.

3 Priuilegia quando non sint amplianda.

4 Priuilegium quando sit strictè explicandum.

5 Priuilegium an deperdatur per non vsum.

6 An per non vsum Priuilegij ammittatur totum Priuilegium.

7 An Priuilegium de facto ammittatur per abusum ipsius.

8 An Priuilegium ammittatur quando agitur contra eum, cum protestatione.

9 Quando Priuilegia cessent esse perpetua.

10 An Priuilegium posterius præualeat contra primum.

Ad primum respondet *Rodericus in suis quæstionibus regularibus to. 1. quæst. 6. art. 3. Quod appellatione Priuilegij venit etiam con-*

sue-

ſuetudo immemorabilis, & probando conſuetudinem immemorabilem, probatur titulus, & Priuilegium ſecundum omnes. Ita etiam Miranda in de Priuil. to.1.vel 2.q.41.ar.5.& Rota dec.11. de Priuilegijs in antiq.& dec.27 coram R.P.D. Pirouano 25. Maij 1635

Ad ſecundum reſpondetur *ſecundum Bonacinam in de Priuilegijs, quod Priuilegium ante mortem concedentis non acceptatum, ceſſat per mortem concedentis. Quia Priuilegiũ eſt veluti quædam donatio. Ad validam donationem requiritur mutuus conſenſus acceptantis, & tradentis: mortui autem nullus eſt conſenſus, & nulla voluntas. Probabilis tamen eſt ſententia dicentium poſſe acceptari Priuilegium poſt mortem concedentis, antequam reuocetur à Superiore.*

Ad tertium reſpondetur, *Vt notatur in floribus legum, quod non ſunt amplianda Priuilegia, cum recedunt à iure communi: Nam omnis receſſus à iure communi eſt odioſus, & per conſequens reſtringendus.*

Ad quartum reſpondetur *cum Bonacina in de Priuilegijs, quod Priuilegium quod eſt contra ius, aut quod alteri damnum infert, ſtrictè explicandum eſt. Et inter alias rationes adducitur iſta. Quia in Priuilegio ſemper ſubintelligitur ſalua iuſtitia, vt bene docet Panormitanus.*

Ad

Ad quintum respondetur *Ex annotationibus Cordubæ, in Compendio Priuileg. Mend. & non Mend. pag. 35. Quod Priuilegium non perditur, nisi legitimo tempore præscribatur, & hoc tempus est quadraginta annorum. Insuper requiritur, quod habeatur scientia Priuilegij, & voluntas non vtendi illo, vt per non vsum perdatur. Panormitanus dicit, quod si vnus vtatur Priuilegio, & non alter, Priuilegio multis concesso, non præiudicat non vtens vtenti. Idem docet Siluester tit. Priuilegium. Et Confectius in suo de Priuilegijs pag. 340. subiungit, quod per non vsum ex iuris dispositione, Priuilegia non tolluntur, nisi vniuersi illius Ordinis, cui principaliter Priuilegium esset concessum, per quadraginta annos, scienter & voluntariè, nec non oblata vtendi facultate, & occasione, illis vsi non fuissent. Vnde habens ius eligendi Rectorem ad aliquam Ecclesiam, dum vacare contingit, si per centum annos non vacet, non propter hoc suo iure priuatur. Et aduerte, quod Priuilegium non ammittitur per solam voluntatem renunciantis. Ratio est, quia Priuilegium vim habet à voluntate concedentis, si ergo Superior renunciationem non acceptat, Priuilegiũ adhuc viget, & priuilegiatus potest mutata voluntate; illo vti. Bonac. de priuil.*

Et si quis non vtitur Priuilegio tempore

G *oppor-*

opportuno, quia est impotens, absens, infirmus, aut quia per violentiam impeditur; talis non vsus non potest illi nocere, vt Priuilegium ammittat, quia voluntarius non est. Idemque argumentum procedit de ignorantia, quia causat etiam inuoluntarium. Quæ doctrina sumitur ex Glossa in c. Abbate, verbo donec; de verb. signif. ex Suar. lib. 8. c. 34.

Ioannes de la Cruz cap. 3. de Priuil. refert, quod Priuilegia Religiosorum non ammittuntur per vnam, aut plures contrauentiones, vt concessit Benedictinis Eugenius IV. Bull. 9. & prius Cælestinis Bull. 2.

Ad sextum respondetur, *Quod vt totum Priuilegiũ per cõtrarium vsum ammittatur, requiritur, vt actus qui sit, sit contrarius toti Priuilegio, nam si solum aduersetur parti, videtur solum derogare Priuilegio quo ad illam partem. Ita Doctores communiter. Ratio est, quia par non est, vt Priuilegium ammittatur in totum, per contrauentionem tantummodo partialem.*

Ad septimum respondetur *cum Bonacina, vbi supra, quod Priuilegiatus regulariter loquendo, non ammittit ipso facto Priuilegium per abusum Priuilegij. Quia ammissio Priuilegij est pœna, pœna non incurritur ipso iure, nisi aliter constet ex iuris dispositione, vt si dicatur incurrat ipso facto priuationem Priuilegij,*

gij, aliter enim potest expectare sententiam legitimi Superioris. Et hic aduerte, quod abusus consistit vtendo Priuilegio in tempore, aut loco, aut circa materiam, vel personam non concessam.

Ad octauum respondetur *cum eodem supracitato Bonacina, vbi supra, quod Priuilegium nõ videtur ammittere, qui aliquid, quod videtur contrarium Priuilegio, facit præmissa protestatione non præiudicandi Priuilegio: Nam protestatio excludit voluntatem renunciandi Priuilegio. Et idem habetur in de Iure Abbat. disp. 16. q. 14.*

Ad nonum respondetur, *Quod & si Priuilegia perpetua firmitate constare debeant, vt est regula Iuris, & vt est videre in floribus legum, tamen hoc fallit, causa noua superueniente, puta si quis Priuilegio abutatur. Item propter delictum Ciuium. Item cum enorme præiudicium alteri Priuilegium inducit, &c.*

Ad decimum respondetur, *Quod Priuilegium posterius non præualet contra primum, nisi mentionem illius faciat. Et ratio est, quia præsumitur Princeps secundum Priuilegium concessisse ex ignorantia primi, quando illius mentionem non facit; ac proinde posterius Priuilegium censetur subreptitium. Quia sine sufficienti narratione impetratur.* De Priuilegio subreptitio.

De quibusdam alijs dubijs, quæ contingere possunt in Priuilegijs circa tempus, cum eorum resolutionibus. Cap. XV.

PRimum. Lex reuocans Priuilegium quando habeat suum effectum.

2 Priuilegium quando sit de falsitate suspectum.

3 Quando intelligatur tantum pro vna vice absolutum.

4 Pe quantum temporis non vsum amittatur.

5 Quando Priuilegium posterius non præualeat contra primum.

6 Priuilegia quando sint reuocanda.

7 Priuilegium vnius quando conquassetur per Priuilegium alterius.

8 Priuilegium actoris quando transferat onus probandi in reum.

9 An Priuilegium perdatur per vnicam contrauentionem.

10 Priuilegiatus ad comedendum carnes in diebus Quadragesimæ, an sit immunis à præcepto ieiunij.

Ad

Ad primum respondetur, *Quòd lex reuocans Priuilegium, non statim habet hunc effectum à die promulgationis, sed post tempus necessarium ad illius obligationem, quod regulariter est duorum mensium, licet pro Curia soleat esse breuius. Et in lege, illa particula, [ex præsenti die,] secundum ius, & debitum ordinem intelligenda est, & ad vitanda publica incommoda, moraliter necessarium est, vt reuocatio non fiat nisi tali modo, quo possit commodè ad priuilegiatorum notitiam peruenire. Si contingat tamen, aliquem, (dicit Pater Suarez c.40. de suis Priuil.) vti Priuilegio reuocato, ex ignorantia publica, & communi & vsum Priuilegij pertinere ad iurisdictionē, vel ad aliud simile munus publicum; tunc actum sustineri, & esse validum, non in vi solius Priuilegij, sed adminiculo iuris sustinentis similes actus, factos titulo publicè reputato, ac tollerato. Iuxta legem Barbarius de off. Prætoris. Et ita vitantur incommoda publica.*

Ad secundum respondetur, *Quod Priuilegium obuium, seu contrarium rationi, est de falsitate suspectum. Et lite pendente Priuilegia impetrata super re litigiosa, in præiudiciū alterius partis non valent. Gloss. super cap. 19. Causam, de testib. & attestat.*

Ad tertium respondetur, *Quod si Rex iubeat semel exigi tributum à priuilegiato, non*

statim censetur absolutè reuocare Priuilegiũ totum, sed tantum pro illa vice. Quia reuocatio est odiosa, & ideo non est attendenda vltra præcisam necessitatem.

Ad quartum *quanti temporis non vsus necessarius sit, vt per illum Priuilegium ammittatur. In hoc ferè cõmunis sententia est, decennium sufficere & requiri, vt docent Panorm. Felin. & alij in c.cum accessissent de constit. ex Suar. lib.8.c.34.*

Ad quintum respondetur, *Quod Priuilegium posterius non præualet contra primum, nisi mentionem illius faciat. Quia præsumitur Princeps concessisse secundum Priuilegium ex ignorantia primi, iuxta caput de constit.in 6. & similiter Priuilegium contra statutum patriæ, vel contra similem consuetudinem non præualet contra illa, quia censetur cum virtuali deceptione Principis obtentum. ex Suar. lib.8.c.39.*

Ad sextum respondetur, *Quod propter vetustatem, instrumenta & Priuilegia renouanda sunt, alias si vetustate consumerentur nulla fides eis adhiberetur. ex Gloss. super c.16. de fide instrument.*

Ad septimum respondetur, *Quod quando duo sunt eque priuilegiati eodem Priuilegio, attendendum est in quo sit maior ratio. Quia tunc Priuilegium vnius conquassatur Priuilegio*

legio alterius. Rot. decis. 557. in nouiss. vbi etiā dicitur, & prius, quod priuilegiatus contra eque priuilegiatum præfertur si remoto Priui. legio, ius commune sibi assistit.

Ad octauum respondetur, *ex Glossa c. 2. de his, quæ fiunt à maiori parte Capitali; quod actore non probante, non semper reus est absoluendus, vt est videre super c. primum; vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. Et additur quod Priuilegium actoris transfert onus probandi in reum, puta si pupillus, vel mulier repetat solutum tanquam indebitum; reus tenetur probare debitum.*

Ad nonum respondetur, *Quod vbicūque quis directè venit contra Priuilegium sibi cōcessum, perditur Priuilegium per vnicam cōtrauentionem. Abb. c. cum accessissent, in fin. de constit. & cons. 61. p. 2.*

Ad decimum respondetur *secundum Pater Suarez c. 22. de Priuilegÿs, quod priuilegiatus ad comedendum carnes in aliquibus diebus Quadragesimæ verè manet immunis à ieiunio, & de tali materia potes consulere Summistas.*

De alijs dubijs Priuilegiorum circa tempus. Cap. XVI.

PRimum. An Priuilegium per vnum actũ contrarij vsus ammittatur.
2 Priuilegium quando reuocetur.
3 Priuilegia quando non sint seruanda.
4 Priuilegium continens id, quod ius commune, quando tollatur.
5 An Papa tollat Priuilegium, si semel mandet contra illud.
6 In Priuilegijs quando certa scientia Papæ colligatur.
7 An Priuilegium ad beneplacitum Sedis sit perpetuum.
8 Priuilegia, quæ conceduntur in foro conscientiæ, an possint obtineri extra Sacramentum pœnitentiæ.
9 Priuilegium & consuetudo an parificentur.
10 Quando Priuilegium habeat effectum ante notitiam.

Ad primum respondetur, *Quod Priuilegium etiam priuatæ personæ, per vnum actum contrarij vsus non ammittitur, nisi legitimo tempore ad præscriptionẽ necessario talis vsus con.*

continuetur, v.g. si post vnum actum Priuilegio contrarium, nihil priuilegiatus faciat, quo videatur priorum actum retractare, vel non amplius vtatur Priuilegio, toto tempore necessario ad præscriptionem, &c. Et sciendũ, quod præscriptio nõ currit de Priuilegijs, quæ non versãtur circa alios, nec tertiam personam grauant. Vt habetur ex supra citato Suarez, vbi supra.

Ad secundum respondetur, *Quod Priuilegium reuocatur si ex post facto incipit enormiter nociuum esse. Vt habetur ex cap. 9. de decimis, primitijs, & oblation. Sciendum hic est, quod quando in Bulla vel alibi suspenduntur, aut reuocantur omnia Priuilegia, intelligitur de Priuilegijs similibus Priuilegijs Bullæ, verbi gratia Cruciatæ, in Regnis, in quibus prædicatur. Secus de Priuilegijs circa alias materias. Ita Angelus verb. excom. Fel. Panor. & alij, quos refert.*

Ad tertium respondetur, *Quod si per Priuilegia concessa super residentia, Ecclesia patiatur graue dispendium in cultu diuino; talia Priuilegia seruanda non sunt, vt habetur ex cap. 16. de Clericis non residentib. cum secundum, vel ad hoc.*

Ad quartum respondetur, *Quod rescriptũ, siue Priuilegium continens id, quod ius commune, tollitur per secundum absque alia clau-*

sula

ſula derogatoria. Abbas poſt caput ex litteris de conſtit.in c.Sicut Romana de reſcriptis.

Ad quintum reſpondetur, *Quod Papa non videtur tollere Priuilegium, ſi ſemel mandet aliquid contra illud. Nec obedientes videtur illi renunciare. Abb.in c.Canonici de præbend.& dignitat. Soluens enim metu cenſurarum, & non alias, non dicitur ſoluere animo acquirendi ius aduerſario, vel obediendi Superiori.decíſ.32. coram Reuerendiſſ. Coccino, 30.Aprilis* 1635.

Ad ſextum reſpondetur, *Quod certa ſcientia Papæ colligitur quando confirmat aliquam rem, cuius tenorem inſerit in confirmatione. Abbas poſt caput conquerente de peregrinat.*

Ad ſeptimum reſpondetur, *ex cap. ſi gratioſè de reſcript. in 6. quod hæc conſtituitur differentia inter verba ad beneplacitum meũ, & ad beneplacitum Sedis, quod priora includunt beneplacitum, quod vita finitur, & ideo etiam Priuilegium illud finitur cum vita concedentis. Poſteriora vero includunt beneplacitum perpetuum, nam Sedes non moritur, ſed per ſucceſſorem eadem ſemper perſeuerat. Et ideo tale Priuilegium non finitur per mortem concedentis, ſed durat donec reuocetur.*

Ad octauum pro reſolutione reſpondetur, *quod oportet aduertere, forum internum interdum vocari forum conſcientiæ, interdum*

vero

vero forum pœnitentiæ, & multi ſut effectui pertinentes ad conſcientiam, qui extra Sacramentum pœnitentiæ fieri poſſunt, ſicuti eſt abſolutio à cenſura, vel diſpenſatio ab irregularitate, & conceſſio, vel lucratio Indulgentiæ. Vnde fit, vt Priuilegia, quæ ſimpliciter conceduntur in foro conſcientiæ, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, obtineri poſſint. Secus vero Priuilegia, quorum vſus conceditur in foro pœnitentiæ, exerceri etenim non poſſunt niſi per Sacerdotem audientem confeſſionem.

Ad nonum reſpondetur, *Quod Priuilegium, & conſuetudo parificantur. Rot. dec.* 11. *de Priuilegijs in antiquis.*

Ad decimum reſpondetur, *Quod tunc eſt cenſenda conſumata conceſſio Priuilegij, cum reſcriptum Priuilegij eſt autenticè confectum, & ſubſcriptum, ſeu bullatum. Quod fortaſſe locum habet in foro exteriori, nam in interiori manifeſtatio volūtatis Principis per verba, vel quocunque modo, erit ſufficiens.*



De

De alijs dubijs etiam circa tempus cum eorum solutionibus. Cap. XVII.

PRimum. Ad præscriptionem Priuilegij quid requiratur.

2 Priuilegium quando non possit interpretari ab inferiore.

3 Priuilegia tertio damnosa quãdo veniant reuocanda.

4 Priuilegium certo ordini concessum quãdo perdatur.

5 An per contrariam consuetudinem, siue Priuilegium detrahatur iurisdictioni Dominorum feudorum.

6 Priuilegium collatũ vniuersitati an perdatur per vsum contrarium.

7 Quando Priuilegium non possit per concedentem reuocari.

8 Contra Priuilegia Ecclesiæ quando præscribatur.

9 Bulla communicationis Priuilegiorum quando, & à quo Pontifice, vel Pontificibus emanarit.

Ad primum licet responsum sit superius *Potest tamen addi, vt deseruiens solutioni huius dubij, quod Innocentius in c. Accedentibus*

tibus ait, quod Monasterium habens Priuilegium non soluendi decimas, si soluat illas semel, aut iterum, ex communi consensu totius Conuentus, non ammittit Priuilegium, quia præsumitur id agere ad vitandam litem, quod est laudabile.

Ad secundum respondetur, *Quod inferior vbi Princeps est in loco, non potest Priuilegium interpretari, etiam in casibus, in quibus alias posset. Item quando Priuilegium ex post facto tendit ad noxam, vel ad lesionem iuris tertij, Principi præponendum est, & non debet contra illud propria auctoritate veniri, sed debet recurri ad Principem, & ad Sedem Apostolicam. Rot.dec.83. p.2.in nouissimis.*

Ad tertium respondetur, *Quod Priuilegia tertio damnosa veniunt reuocanda. Fallit tamen si tale præiudicium infertur ex causa honesta, & à iure approbata. Quia hæ causæ publicam vtilitatem concernunt. Rot.dec.457. p.1. in nouissimis.*

Ad quartum respondetur, *Quod Priuilegium certo Ordini tributum propter arctitudinem vitæ ipsius, perditur si non seruatur regula instituta antiquitus, vt ex cap.3. de statu Monachorum recolentes. In hoc capitulo multa sunt consideratione digna, & scienda pro Monachis.*

Ad

Ad quintum respondetur, *Quod per contrariam consuetudinem, seu Priuilegium detrahitur iurisdictioni Dominorum feudorum, vt non ipsi Domini cognoscant, sed illi ad quos consuetudo, vel Priuilegium iurisdictionem defert. Item & vassallus potest præscribere contra Dominum, vt non teneatur ad seruitia. Abb. in cap. Nouit ille de iudicijs.*

Ad sextum respondetur, *Quod Priuilegiũ collatum Vniuersitati perditur per vsum contrarium, & per singulos de Vniuersitate, dummodo principaliter non concernat fauorem Ecclesiæ. Abb. in cons. 18. 2. par.*

Ad septimum respondetur *ex Patre Miranda, q. 43. art. 2. primi tom. quod si superior ex certa scientia confirmauit Priuilegiũ concessum ab inferiore, non potest postea reuocari per inferiorem. Vnde Priuilegia à Regibus, vel Imperatoribus concessa, & confirmata per Papam, non possunt postmodum ab eisdẽ Regibus, vel Imperatoribus reuocari.*

Ad octauũ respondetur, *Quod Priuilegia Ecclesiæ minori spatio 40. annorũ nõ præscribuntur, vt patet ex gloss. in c. 15. accedentibus.*

Ad nonum respondetur, *Quod Bulla cõmunicationis omnium Priuilegiorũ Mendicãtium, inter vniuersos, & singulos eorundem Mẽdicantiũ emanauit. A. D. 1516. à Leone X. Bull. 22. Sed de hoc notatũ est latius superius.*

De

De dubijs, quæ contingere possunt in Priuilegijs circa res, & circa modum cum solutionibus. Cap. XVIII.

PRimum. An scriptum sit de essentia Priuilegij.

2 Viuæ vocis oracula an tantum valeant, quantum Priuilegia.

3 Viuæ vocis oracula in quo foro faciant fidem.

4 Viuæ vocis oracula an sint reuocata.

5 Potestas absoluendi vi Priuilegiorum à casibus reseruatis Episcopis, quomodo intelligatur.

6 Priuilegium obtentum per relationem falsam, an valeat.

7 An Priuilegia absoluendi se extendant ad casus Bullæ in Cœna Domini.

8 An Priuilegia in quibus dicitur, quod non intelligãtur reuocata, nisi de eis fiat specialis mentio, & si non fiat, reuocentur.

9 Priuilegium aperiendi Ecclesiam tempore interdicti, quomodo intelligitur.

Ad primum respondetur *à Roderico to.* 1. *q.7. art.5. quod scriptura, siue bullatio non est de essentia Priuilegij Apostolici, secundum Innocentium, & alios. Tamen quia sine Bullis non potest Priuilegium probari, ideò requiritur, vt Priuilegium in scriptis edatur non ad essentiam ipsius, sed ad probationem. Viuæ etenim vocis oracula sunt non minoris efficaciæ, quam concessa per Bullas, aut Breuia. Priuilegium enim datur à Principe sine scriptura. Rot. dec.*10. *de officio delegat. in nouis. Modo vero iam omnia viuæ vocis oracula sunt reuocata, vt infra dicitur.*

A secundum respondetur, *Quod viuæ vocis oracula non sunt minoris efficaciæ, & valoris, quam concessa per Bullas, aut Breue, vt dictum est hic ad primum: sed hoc in foro conscientiæ tantum, vt declarauit Leo X. Patribus Minoribus Obseruantiæ.*

Ad tertium respondetur, *quod viuæ vocis oracula non faciunt fidem, nisi pro foro conscientiæ, vt dictum est, & pro rebus spiritualibus, vt habetur in Compend. P. Mend. & non Mend. sub ver. Tertiarij Fratres, & Sorores: & in de Iure Abb. Tamb. tom.*2. *disput.*8. *q.*3. *similiter asseritur, quod viuæ vocis oracula intelligenda sunt tantum pro foro conscientiæ, & quo ad casus occultos. Quia pro huiusmodi tantum fieri solent.*

Ad

Ad quartum dicitur, *Quod omnia, & singula viuæ vocis oracula, & concessiones quecunque viuæ vocis oraculo factæ, tum ad interius, tum ad exterius forum spectantia, Gregorius XV. Bulla 7. reuocauit, voluit tamen, vt firma, & in suo robore permanerent omnia illa, quæ propria manu S.R.E. Cardinalium firmata essent. Ceterũ Vrbanus VIII. omnia illa, etiam si à Cardinalibus firmata essent, reuocauit anno* 1631. *Aduertendum tamen, quod viuæ vocis oracula, quæ Priuilegia, facultates, & gratiæ non sunt, sed mere declarationes, aut explicationes Priuilegiorum, nõ sunt abrogata. Ita Lezana in Summa qq. regular. de obligationibus Religiosorum cap.* 3.

Ad quintum respondetur, *Quod quando dicitur, quod Confessores regulares vi suorum Priuilegiorum habent omnes casus Episcopis reseruatos, hoc intelligitur exceptis reseruatis à iure. Ita in Compend. P. Mend. & non Mend. ex Alphonso de Casarubios pag.*62. *& prius p.*59. *&* 57. *in qua refertur, quod Reuerendissimus Episcopus Gaietanus nomine dicti Alphonsi Hispani Sacram Cardinalium Congregationem consulens, an per Bullas ordinarias, in quibus solet dari facultas absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, comprehendantur etiam casus Ordinario, & Prælatis regularibus reseruati. Fuit responsum quod non*

nisi de eis fieret specialis mētio. In posteriorib. tamen S. Congregat. declarationibus, omnes, & quicunque casus Episcopis reseruati, negantur Regularibus non obstantibus eorum Priuilegijs. Vide Lezanam tom. 2 qq. regul. c. 19.

Ad sextum respondetur, *Quod relatio Breuis, vel Bullæ, super quā sit concessio, debet esse vera, nā si est falsa, nihil valet, q cōceditur, etiā si cōtineat maximas clausulas, & nō obstātias. Ita in C. P. M. & nō Mend. ver. Priuil. Fratr.*

Ad septimum respondetur *negatiuè, vt habetur in de Iure Abb t. 2. disp. 13. quæst 15. Ratio est, quia ita in praxi seruatur, & sic diffinitum est ex speciali mādato Clement. VIII. & Pauli V. Et quia casus Bullæ quolibet anno de nouo reseruantur cum derogationibus Priuilegiorum Ordinū, & eximijs non obstantijs.*

Ad octauum respondetur *affirmatiuè. Nam & si in plerisque concessionibus contineatur, vt habetur in Cōpend. P. Mend. & nō Mend. sub ver. Priuilegia Fratrum, quod non intelligantur reuocata, nisi de eis fiat mentio de verbo ad verbum, tamen stilus Curiæ est in contrarium, vt est plusquam manifestum.*

Ad nonum respondetur, *Quod illud Priuilegium intelligitur, quod vna tantū sola Ecclesia eiusdem Ordinis aperiatur in illa Ciuitate, Castro, aut villa, quæ fuerit interdicta, vt habetur ex Gloss. c. 24. vt Priuilegia de Priuil.*

De

De alijs dubijs etiam circa res & modum, cum eorum solutionibus. Cap. XIX.

PRimum. Priuilegium benedicendi quomodo intelligatur.

2 Quomodo Priuilegium de decimis nouabilibus soluendis.

3 Quomodo Priuilegiatum non soluere decimas.

4 Quomodo Priuilegia de non soluendis decimis habeant intelligi.

5 Contra legem & Priuilegiũ qui faciat.

6 Ad renunciationem Priuilegij quid requiratur.

7 Quodnam Priuilegium dicatur in forma communi confirmatum.

8 An Priuilegium ammittatur per abusum.

9 Priuilegium Papę quomodo sit interpretandum.

10 Quomodo interpretandum Priuilegium Principis in sui præiudicium.

11 Priuilegium de nõ soluendis decimis de acquisitis & acquirendis, ad quę extendatur.

12 Priuilegium non valens vt confirmatũ, an possit alio modo valere.

13 Priuilegio cõfirmatorio quomodo standum sit.

Ad primum respondetur, *Quod Priuilegium obtentum à Sede Apostolica, vt Abbas possit impartiri solemnem benedictionem, restringitur quamdiu est in Monasterio vel in Capella sibi pleno iure subiectis: vt in c.3. de Priuileg. in 6. Decret.*

Ad secundum respondetur, *Quod Priuilegium de decimis noualium soluendis, non comprehendit decimas tempore Priuilegij impetrati, possessas ab alijs, nisi de possessione alterius in Priuilegio fiat mentio, vt habetur ex gloss. super cap. 31. dudum de Priuilegijs.*

Ad tertium respondetur, *Quod priuilegiatos non soluere decimas, intelligitur de prædijs proprijs. Secus de his, quæ quis ab alio conducit. Abb. in cap. Dilecti filij, de decim. & oblat. Hic notandum, quod generalis mentio in materia exemptionis, fallit in solutione decimarum, quæ tanquam exorbitans à iure communi, sub generalitate verborum comprehendi non valet, decis. 31. coram Eminentissimo Cardinale Verospio 25. Maij* 1618.

Ad quartum respondetur, *Quod Priuilegia de non soluendis decimis concessa alicui loco Religioso, non extenduntur ad decimas de nouo acquisitorum, ex quibus ante decimæ soluebantur. Abbas in c. nuper de decim.*

Ad quintum respondetur, *Quodo contra le-*

legem, seu Priuilegium facit, qui seruat sola verba, & venit contra mentem. Abb. cap. Quanto de Priuileg.

Ad sextum respondetur, *Quod necessarium est, vt voluntas renunciandi Priuilegium, exterius se prodat, quod egregiè confirmatur, ex cap. licet de Procur. in 6. vbi dicitur, mandatum Procuratoris non censeri absolutè reuocatum, etiam si is, ad quem dirigitur dicat se nolle acceptare mandatum, quamdiù mandans priorem voluntatem suam non reuocauerit. Vnde concluditur ad expressam renunciationem Priuilegij, non solum esse necessariam voluntatem internam, sed etiam signum corporale externum, satis expressè declarans illam voluntatem. Renunciatio expressa fit verbis, tacita vero fit potius factis, vel omissionibus, &c.*

Ad septimum respondetur, *Quod Priuilegium confirmatum in forma communi dicitur, quando Pontifex confirmat Priuilegium prout factum est, vel prout est in vsu. Ita sentiunt Abb. & Io. Andreas in cap. exterminat. de confirmat. vtil. vel inutil.*

Priuilegium quando dicitur cõfirmatũ in forma communi.

Item confirmatio facta sine clausula ex certa scientia, dicitur esse in forma communi, & generalis, & conditionalis, quatenus scilicet statuta sint iusta, & rationabilia. decis. 780. in nouis. Confirmatio ex certa scientia

sit, quando Pontifex habet perfectam notitiam totius negocij, & omnium eius circumstantiarum. Item tunc aliquid dicitur confirmatum in forma communi, quando fit ad instantiam partis, & aliter quam Principe, seu Summo Pontifice instructo de re, siue negocio, quod concedit, aut confirmat. Et tunc verba sunt intelligenda conditionaliter, etiam si non exprimantur id est si ita est, aut si preces veritati nitantur. Miranda tom.1. quæst.45. art.1. & Tambur. in de Iure Abb.tom.1.disput.18. quæst.1.

Ad octauum respondetur, *Quod quoties vsus contrarius Priuilegio dat alteri occasionem, & tempus præscribendi contra Priuilegium, consumata præscriptione, ammittit Priuilegium in re ipsa, ac subinde etiam in conscientia. Vnde adest illa sententia Simplicij Papæ. Priuilegium meretur ammittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Abusus vero consistit vtendo Priuilegio, in tempore, aut loco, aut circa materiam, vel personam non concessam.*

Ad nonum respondetur, *Quod Priuilegium Papæ non est interpretandum in præiudicium tertij. Rot. decisione secunda de renunciatione in antiq. Quando enim Papa concedit aliquid, per quod præiudicatur Ordinario, in dubio non videtur fecisse nisi in*

in eo, quod expressè concessit.

Ad decimum respondetur, *Quòd Priuilegium Principis est latissimè interpretandum, Rot. dec.4 de præbend. in nouis. Et in tantum, vt absurdum sit, liberalitatem Principis in diminutionem velle interpretari, & præcipuè si agatur de fauore cultus diuini. Secùs dicitur de ijs, quæ honorem Principis dehonestarent, & quando derogetur vtilitati publicæ, vt habetur in practica conclusionum Iuris Dominici Cardinalis Tuschi conclus.* 49. *in verbo Beneficium.*

Ad vndecimum respondetur, *Quòd Priuilegium de non soluendis decimis, de possessionibus acquisitis, & in posterum acquirendis, non extenditur ad magnas possessiones in vna Parochia acquisitas, per quod fieret Ecclesiæ parochiali enorme præiudicium. Rot. decis.83.p.2. in nouissimis.*

Ad duodecimum respondetur, *Quòd quãdo Priuilegia non solùm confirmantur, sed de nouo conceduntur, eo casu non requiritur verificatio Priuilegiorum narratorum. Quãdo enim Princeps dicit, talia concedimus, & confirmamus, in quibus non valet, vt confirmatio, valet vt concessio. Nam hæc videtur fuisse Principis intentio, vt in omnem euentum voluerit valere. Rot. dec.36. p.2. in nouissimis.*

Ad tertium decimum respondetur, *Quod Priuilegio confirmatorio standum est absque productione, & verificatione Priuilegij confirmati, quando in eo substantia Priuilegij confirmati plenè narratur, vt in supradicta decis. 36. p. 2. in nouissimis determinatur.*

Finis Libri Secundi.



DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORVM

LIBER TERTIVS.



IVXTA id, quod promisimus in principio huius nostri Operis, declaratis iam clausulis Priuilegiorum, & habita eorum notitia, & resolutis dubijs, quæ circa ea contingere solent; modo assignanda sunt quædam Priuilegia maiora, quæ à Summis Pontificibus, diuersis Regularibus concessa fuerunt, & ponentur secundum ordinem Alphabeti, vt promptius inueniri possint.

Abbas.

SVpposito igitur prius, quod omnes Abbates, & Prælati, habentes vsum Pontificalium, veniant appellatione Pontificum; vt habet Tamb. to. 1. disput. 1. quæst. 6. Quia alias Pontificale Romanum pro omnibus Ecclesiæ Prælatis à Clemente VIII. ordinatum, Nomine Pontificum intelliguntur etiā Abbates.

Abba-

Abbatibus non conueniret, quia ferè semper Pontificis nomine appellatur in rubricis, Prælatus ille, ad quem functiones in eodem pontificali præscriptas exercere pertinet. Item & quod Abbates, qui Regulares sub se subditos non habent, vel quia fortassis Monachi locum reliquerunt, vel quia Monasterium est alio translatum, vel alicui sæculari Clerico commendatum, titulares Abbates vocantur: ac pontificalibus insignijs vtuntur, de licentia tamen Abbatum localium, in quorum Ecclesijs, ea exercere voluerint, & suffragia, & liberam vocem habent in Capitulis, & c. vt pariter notatum est à Tamb. in de Iure Abb. tom. 1. disp. 3. quæst. 1. Et quod Abbates, qui sunt Capita Ordinum, & alij Abbates exempti vti possunt sigillo proprio, proprijs armis, seu insignijs, Capello, vel Mitra, vel Cruce, pro cuiusque gradu, & dignitate, vt deinde probatur disput. 19. q. 2. eiusdem primi tomi. His dico suppositis; Priuilegia sunt infrascripta.

Abbates titulares qui dicantur.

Quibus vti possint Abbates Generales.

Sanctissimus Pater Petrus Cælestinus V. Anno Domini 1294. concessit Abbati generali suæ Religionis, & omnibus successoribus pro tempore existentibus, vt statim electus, benedictionis suæ munus à quocunque maluerit catholico Episcopo, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, recipere possit.

Priuilegium S. Petri Cælestini.

possit. Et vt in Missis benedictionem solemnem posit dare, & vasa, & alia paramenta ad cultum diuinum pertinentia, nec non in ædificandis Capellis, aut Hospitalibus, primarium lapidem, fundamenta, Pontificali more benedicere, nec non minores Ordines Confratribus, & alijs familiaribus, & subditis conferre. Et Clemens VIII. temporibus nostris Priuilegia Camaldulensiũ confirmans, declarauit, & de nouo concessit eorum Abbatibus, etiam non benedictis, & Prioribus similiter, quod posint ordines minores conferre suis subditis Regularibus die 3. Augusti 1594.

Ex hoc Priuilegio desumitur, quod etiã quidam Priores, scilicet, qui communicant cum supradictis Camaldulensibus possunt vti Pontificalibus, nisi aliud obstet ex propria Religione, cum & ipsi posint conferre ordines minores. Qui possint conferre ordines.

Sacra Congregatio Rit. in fauorem Abbatum Cassinensium Ordinis S. Benedicti declarauit, & censuit, licere huiusmodi Abbatibus, in tribus Festiuitatibus quolibet anno, quando in eorum Ecclesijs solemniter celebrant, vti baldachino, & ita etiam concessit Vrbanus VIII. qui ad præsens feliciter regnat, in sua Const. 151. 1629. De vsu baldachini.

In Collectanea Barbosæ verbo Abbas, no-

notatur, vsum baldachini fuisse concessum Abbatibus Camaldulensibus à S.C.R. 21. *Augusti* 1632. *Abbatibus Oliuetanis à supradicto Vrbano VIII.* Constit. 97. 1629. *& sub verbo Prælatus idem asseritur de Prælatis Canonicorum Regularium, quando solemniter celebrant, è S.C. R. die 13 Ianuarij 1633. & idem fuit concessum à Sanctiss. Pontifice N. Vrbano VIII. die 26. Septēb. 1629. Abbatibus nostris Cælestinis pro tribus festiuitatibus solemniter celebrantibus, & insuper cum assistentia vnius Presbyteri, & duorum Diaconorum, & aliorum sex Monachorum, sacris vestibus indutorum, duorum nempè cum Pluuialibus, duorum cum Planetis, & aliorum duorum cum Tunicellis, vltra Diaconum, & Subdiaconum, qui in Missa cantaturi sunt Euangelium, & Epistolam. Et dicti assistentes habere sedere super scabellis panno lineo coopertis. Ita Vrbanus VIII. Const.* 97. *pro Patribus Oliuetanis.*

De ministris in Missis solemnibus.

Hic est aduertendum, quod Episcopi possunt baldachinum erigere in Ecclesijs Abbatialibus, & locis exemptis suarum Diœcesum, Pontificalia exercentes, vt habet Quaranta in Summa Bullarij pag. 408. *Pontificalia tamen an possint exercere absque Abbatū licentia, videatur Conc. Trid. sess.* 6. *de reformat. cap. vlt. & sess.* 14. *cap.* 2. *& Bulla* 9. *Euge-*

De vsu baldachini quo ad Episcopos

Eugenij pro Casinensibus, & Bulla 18. eiusdem Eugenij pro Cistercienfibus: & Bul. 34. Sixti IV. pro Augustinianis.

Prior Militiæ S. Lazari pro tempore existens, quoties sibi placuerit, Missam, & alia diuina officia in sua, alijsque dictæ Religionis Ecclesijs, in habitu pontificali, cum mitra, & baculo pastorali potest celebrare, ex concessione Pij V. Bull. 28. & à Gregorio XIII. fuit facta vnio Militiæ S. Mauritij & S. Lazari, & sub regimine Sabaudiæ Ducis, magni Magistri perpetui. Milites S. Lazari erant sub regula Sancti Augustini; Milites S. Mauritij, sub regula Cistercienfium. Priuilegium Prioris Militiæ S. Lazari

Paulus V. die 19. Decemb. 1606. confirmauit pro Abbatibus generalibus Cælestinorũ, vsum mozzettæ super mantelletto, & bireti quadrati more Clericorum sæcularium, ac pilei, more Prælatorum, & in proprijs Ecclesijs, & Monasterijs cappa, baculo, mitra, ac cæteris pontificalibus indumentis eos vti posse, de nouo concessit; Et huiusmodi confirmationem obtinuit Reuerendissimus P. D. Celsus Americus Romanus, qui tertio præfuit, & Generalis fuit in nostra Congregatione.

In Collectan. Barb. sub verb. Abbas Cælestinus, habetur quod à S.C.R. die 8. Augusti fuit decisum, quod Abbas Generalis Cælestinorum manutenendus est in possessione deferendi

habi-

habitum prælatitium. Et ver. Cappa subiungitur, & cappa Episcopalis permittitur Priori S. Frigidiani Lucensis, Congregationis Lateranensis, & S.C.R. die 16. Augusti 1618.

Cetera, quæ possunt deseruire huic titulo, vide in ver. Benedicere, Ordines Sacri, & Generales.

Abbatissa.

QVibus Priuilegijs gaudeant Abbatissæ, ex superius habitis in secundo libro, in resolutione dubij, an Moniales communicent in Priuilegijs cum Religiosis, & ex inferius dicendis in proprijs locis de Monialibus, intelligere possumus. Vnde modo notare sufficiat, tanquam sapiens naturam Priuilegij, quod est licitum accipere pro sustentatione Monialis, non solum id, quod est necessarium pro sustẽtatione illius tempore nouitiatus, sed etiam id, quod fuerit necessariũ pro alimentis ipsius per totam vitã. Ratio est, quia hoc nõ est accipere temporale pro spirituali, quod est simoniacum, sed temporale pro temporali, scilicet pecuniam pro sustentatione, quod iure naturali concessũ um est. Bonac. de si mon. quæst. 7. §. 4. & hoc solet nominari nomine dotis.

Quid possit accipi pro Monialibus.

Et Lezana in c. 6. de voto paupertatis, similiter ad hoc propositum, allato prius Concil. Trid. & Decretis, & præceptis Summorum

De Peculio.

Pon-

Pontificum, Clementis VIII. Vrbani VIII. & declarationibus S.Congr. sic concludit. His tamen non obstantibus, in illis Monasterijs, in quibus vel ob nimiam paupertatem, qua premuntur Religiosi, vel ob malitiam, incuriam, aut negligentiam Superiorum, non potest obseruari vita communis, dando singulis, & omnibus Religiosis ea, quæ sunt simpliciter eis necessaria, secundum decentiam status; vel de facto non dantur; potest permitti Religiosis aliquod peculium, etiã rei stabilis, annuus redditus, vel census, &c. in ordine ad vsus necessarios, & amobiliter à voluntate Superiorum. Ratio est, quia cum habere isto modo non sit contra naturam voti paupertatis, aut iuris communis, sed solum contra præcepta Ecclesiastica, Conc. Trid. Summorum Pontificum: Præcepta autem Ecclesiastica non obligent cũ morali impossibilitate; qualis censetur esse in casibus præpositis, videtur non obligare prædicta præcepta. Nam eatenus Concilium Tridentinum, & Summi Pontifices post ipsum, prohibuere Religiosis prædicta omnia, quatenus supponebant Monasteria, vel Superiores ipsorum concedere singulis Religiosis omnia necessaria; vel præcipiebant illis, vt ita facerẽt, vt constat ex mente, & verbis ipsorum Decretorum. Ergo cum Monasteria non possunt ita de necessarijs prouidere, vel de facto non proui-

uideant; cessat hæc lex Ecclesiastica. Hæc vero dicũtur non vt abusibus ansa præbeatur, sed vt timoratis conscientijs Religiosorum, qui in aliquibus Monasterijs aliter viuere non possunt; satisfiat.

Quæ attendenda in dispensatione necessariorum. *Supradictæ doctrinæ addi potest cũ Corduba in Regula S. Fransisci cap. 6. quæst. 1. & Thoma de Iesu in cap. non dicatis, par. 4. quod in taxatione, seu dispensatione rerum necessariarum Religiosi; est attendenda in primis necessitas naturæ, quæ est communis omnibus: deinde necessitas personæ, quæ est particularis in singulis, vt si sit senex, vel iuuenis, sanus, vel infirmus, delicatæ vel debilis complexionis. Similiter vsus approbatus inter prudentes, & timoratos Religionis. Et tandem omnes circũstantiæ temporis, loci, & officij, &c. Ratio est, quia, si ad hæc omnia non attendatur, non potest esse prudens dispensatio.*

Licentia, quæ requiritur, & regulariter sufficit ad hoc, quòd Religiosi possint tenere, possidere, accipere, dare, vel expendere; sufficit quòd sit tacita, vel prudenter præsumpta. Ratio est, quia taciti & expressi eadem est virtus: & quod fit cum licentia implicita, & prudenter præsumpta Superioris, dicitur fieri cum eius consensu. D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 8. Supradicta tamen licẽtia debet esse voluntaria, non coacta, vel precibus importunis

nis vel fauoribus, metu, aut dolo concessa. Quia aliàs talis licentia, potiùs esset violentia. Similiter debet esse legitima, vnde, si ad prauos, inhonestos, aut inutiles vsus; non est valida. Vt habet Lezana tom.1. c.6. vbi etiam citat Nauarrum, Sanchez, & alios.

Alterum notandum post hanc digressionem est, quòd, vt habet Tamb. in de Iure Abbatissarum disput.25. quæst.8. Loquens cum Abbatissa, siue sit benedicta, quales sunt perpetuæ, siue sit ex ijs, quæ non benedicuntur, quales sunt, quæ ad triennium, vel quadriennium eliguntur. Lenz.tom.1. cap.26. non incidit in excommunicationem latam contra alloquentem cum Monialibus, quia, sicut nomine Monachorum non venit Abbas in odiosis; ita nomine Monialium non venit Abbatissa, in materia enim odiosa feminæ non comprehenduntur; vt in iure cap. generali, de elect.lib.6. & defectum conditionum, quæ requiruntur ex Conc. Tridentino pro electione Abbatissarum, seu Priorissarum sess.25. c.7. Suarez tom.4. de Relig. trac. 8. lib.6. cap.6. docet, non reddere electionem nullam, aut irritam, sed ad summum irritandam. Cùm Cõcilium non apposuerit clausulam irritatiuam; sed solùm prohibitiuam. Vnde illegitima, probabile satis censetur, quòd absque dispensatione possit eligi in Abbatissam. Lez. t.1.c.6 Priuilegium Abbatissarũ.

Absolutio.

De hac materia consule Summistas, & Priuilegium Pauli III. Bulla 48. Scias tamen, quod prohibitio decreti Clemẽtis VIII. solum se extendat per vniuersam Italiam. Quod etiam expressè habetur ex nouissima declaratione S.C. Episcoporum, & Reg. edita Anno 1628. *die* 17. *Nouembris, & approbata à S.D.N. Vrbano VIII. vt optimè notauit Lezana to.*1.*c.*19. *num.*16.

De casibus Bullæ. *Religiosi Societatis Iesu in terris infidelium remotissimis, possunt omnes fideles absoluere etiam a reseruatis in Bulla Cœnæ, ex concessione Pauli III. in sua Bulla* 48.

Paulus V. Bulla 4. *alias* 26. *Patribus Redemptionis Captiuorum idem concessit. Vide tamen aliquas limitationes ibi positas.*

Clemens IV. Bulla 4. *concessit Generali, & alijs Prælatis Fratrum Minorum Conuẽtualium S. Francisci, vt possint omnes sui Ordinis Fratres absoluere à casibus, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrerint sententias, à iure, vel à Iudice generaliter promulgatas (inter istos, etiam nouitios dicit includi Lezana tom.*1. *cap.*24. *) nisi adeò grauis fuerit, & enormis excessus, vel nisi talia forent, prop-*

ter

ter quæ merito essent ad Sedem Apostolicam destinandi: qualia Sixtus IV. Bulla 6. pro Patribus Minoribus, & Bulla 7. pro Patribus Prædicatoribus declarauit esse hereticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent.

Et hoc idem fuit concessum à Paulo III. Societati Iesu Bulla 48. qui etiam eis concessit, vt possint absoluere à pœnis ecclesiasticis. Est tamen aduertendum, quod secundum stilum Curiæ, quæ facit legem, sub generali clausula absoluendi à pœnis, non venit irregularitas, sicut nec depositio, nec degradatio. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 9 c. 20. Quid de irregularitate.

A suspensione, quam incurrunt Regulares; suscipiendo ordines illegitimè, & absque ætate requisita, possunt absolui in foro conscientiæ à suis Prælatis, propter Priuilegia, de quibus Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 20. art. 1. & 14. Quia tamen stilus Curiæ dicitur esse in contrarium, quod scilicet semper petatur dispensatio à Papa, vel per Datarium, vel Summum Pœnitentiarium, stilo autem Curiæ standum sit, cum faciat ius, & præualeat consuetudini; ideo aliorum iudicio hoc remittitur. Quid de suspensione.

Habet Lezana cap. 18. de obligat. Relig. num. 45. quod cum in Priuilegijs, aut indultis conceditur facultas absolutionis, vel dispensa- De particula in foro conscientiæ.

 tionis

tionis in foro conſcientiæ, probabile eſt hoc in foro conſcientiæ denotare ſolum, quod talis abſolutio, vel diſpenſatio non ſuffragetur in foro exteriori, ſed ſolum in foro interiori animæ. Henriquez l.3. de Indulgentijs, cap.3. Miranda in Manuali t.1. q.30. art.21. & to.2.q.25. art.2. alias diceretur, & adderetur in foro pœnitentiali, & non conſcientiæ tantum.

Item ſciendum, quod Prælati regulares poſſunt abſoluere ſuos ſubditos à cenſuris reſeruatis Papæ, quæ in iure ſunt commiſſæ Epiſcopis, eo quod habeant iuriſdictionem erga eos Epiſcopalem. Secus à cenſuris, quæ Epiſcopis ſunt commiſſæ ex ſpeciali commiſſione, præſertim vt Legatis Summi Pontif. Ratio eſt, quia in illis caſibus sũt Epiſcopi ſuperiores Prælatis Religionum, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati. Lez. to.1. c.18. & citatur ab eo Suarez.

Rodriquez tom.1. qq. reg. q.20. artic.4. & Suarez tom.4. de Relig. tract.8. l 2. cap.25. particulam illam Priuilegij Pauli III. concedentis Generali Societatis Ieſu, vt per ſe, vel per alios poſſit ſuos ſocios abſoluere à quibuſuis excõmunicationis, aut interdicti, alijſque Eccleſiaſticis, & ſæcularibus ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis; illud quomodolibet, dicunt intelligi debere, quando Religioſus nominatim etiam denunciatus eſſet; & conſequenter

De particula quomodolibet.

ter per sententiam specialem.

Hic recordare Decreti Clem. VIII. ne fiat error, & videatur eius Bulla, quæ incip. Romani Pontificis, Anno 1599. & Vrbanus VIII. Anno 1630. prædictam Constit. cap. 8. innouauit vt habetur 4. to. Bullarij inter Bullas Vrbani.

Alia, quæ possunt desiderari pro maiori intelligentia supradictæ materiæ absolutionis, vide in verbo Confessio, & Confessores. Solum hic finaliter notabimus formam absolutionis plenariæ à culpa & pœna, & ab omni casu pertinente ad Papam, quæ datur aliquibus Religiosis in agone existentibus auctoritate Priuilegiorum.

Auctoritate Dei, & Apostolorum Petri & Pauli, & S. Romanæ Ecclesiæ tibi concessa, mihique in hac parte commissa, ego te absoluo, &c. Et eadem auctoritate, & D. N. Papæ Summi Pontificis, in quantum claues Ecclesiæ se extendunt, absoluo te ab omnibus pœnis tibi in purgatorio debitis, & concedo tibi indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen. Ita est assignata in Compend. P. M. & non Mend. sub dicto verbo Absolutio. Forma absolutionis a culpa & pœna.

Accedere ad Monasteria Monialium.

D*Ecretum, quo prohibitum fuit Religiosis accedere ad Monialium cenobia, vel ip-*

sas personas intra clausuram existentes alloqui, absque licentia expressa Sacra Congregationis, sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendæ, Anno 1590. *licet innouatum sit à S.C. sub S.D. Vrbano VIII. Anno* 1623. *moderatum tamen fuit quo ad hoc, scilicet facultatem tribuendo Ordinarijs, vt quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam possint concedere per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicunque regulari, vt Moniales sibi in primo, & secũdo tantum consanguinitatis gradu coniunctas, conuenire, & alloqui possit. Matres tamen, patres, & filij Monialium possunt eas alloqui sine licentia, non tamen in diebus prohibitis. Gauant. in Manuali Episcop. verbo Monialium collocutio. Scribere Epistolas ad Moniales, Romæ est interdictum, extra tamen Romam non videtur obligare, quia non est lex Pontificia.*

Licentia alloquendi cum Monialibus extenditur etiam ad socios, vt habet Tamb. in de Iure Abbatissarum disput. 26. *quest.* 3. *& nota ex Rodriq. tom.* 1. *q.* 63. *artic.* 7. *Quod Custos, & Guardianus, qui possunt licentiare suos subditos ad accessus, & ingressus in Monasteria Monialium, possunt etiam licentiare se ipsos, quia eo ipso, quo eis confiditur & conceditur, vt possint licentiare alios, confiditur,*

ditur, & conceditur etiam, quod & se ipsos similiter licentiare possint. Facit ad hoc doctrina Caietani dicentis, quod in suis legibus potest Superior eo modo secum dispensare, sicut & cum alijs subditis.

Alia, quæ possunt deseruire pro meliori intelligentia supradictæ materiæ, habetur in verbo Ingredi Monasteria Monialiū, & apud Summistas cōmuniter, prætermiteuntur autē tanquā non deseruientia ad tractatū Priuil.

Alienatio bonorum.

Licet alienatio propriè non sit, in qua reseruatur rectum dominium dec. 608. prima parte in nouissimis. Tamen alienationis appellatione venit etiam locatio ad longum tempus. decis. 26. par. 2. in nouissimis.

Hic est aduertendum, quod licet alienatio bonorum Monasterij sit aliquando vtilis, ad ipsam Congregationem pertinet iudicare de tali vtilitate.

Inter alios casus tamen quibus licita est alienatio, sine vlla Sedis Apostolicæ licentia, posita tamen necessitate Ecclesiæ; vnus est, quando res alienanda, est modici valoris, iuxta caput terrulas, vt etiam notatum est in prax. Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ cap. 60. vbi habetur, quod sine assensu Papæ

possint alienari terrulæ, vineolæ, & domunculæ Ecclesiæ minus vtiles, & à longe positæ, & exiguæ. Nam in generali prohibitione non veniunt modica, vt dicit Abbas in cap. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & de modicis aut parum, aut nihil curatur. Quid autem dicatur modicum; Iudicis arbitrio remittitur. Regulariter tamen dicitur minimi valoris terra ascendens ad summam ducatorum decem, vel viginti, & non plus. Sed aduertendum, quod terra potest esse magni valoris respectu Ecclesiæ pauperis, non diuitis, &c. Alter casus est, necessitas tam vrgens, vt non possit expectari licentia Papæ, vt si essent citò redimendi captiui à pyratis detenti: aut pauperes in graui & repentina necessitate pascendi. Molina disput. 468. Et nota quo ad locationem, quod quando prædia alternis tantum annis fructum ferunt, possunt locari in sexennium. Nam annus in locatione non taxatur, ex simplici decursu temporis, sed ex fructu. Nauarr. tom. 2. de alienat. nu. 21. & 22. Azor. par. 2. l. 9. c. 2.

Quid dicatur modicum.

Quando locatio fieri possit ad sexennium.

Priuilegia præcedentia decretum Vrbani VIII. de bonis Ecclesiæ non alienandis, non adducimus, quia iam abrogata sunt.

Episcopus de bonis suæ mensis Episcopalis potest donare, vel alienare capitulo sine solemnitatibus, non obstante iuramento de non alie-

Si Episcopus possit alienare.

alienando sine Superioris licentia. Et ratio est, quia non potest dici alienatum ab Ecclesia, quod semper in dominio Ecclesiæ retinetur, decis.756. 1. p. in nouissimis.

Altare.

Sixtus Quartus Bulla 6. 1474. concessit Fratribus Minoribus, vt non solum in Oratorijs, & in locis, in quibus degunt, sed etiam in quouis alio loco congruenti, & honesto possint super Altare portatile liberè, & licitè Missas celebrare; & Iulius II. Bulla 30. concessit Canonicis Sancti Saluatoris; vt possint in itineratione altare portatile habere, & super eo locis congruis, & honestis Missas, & alia diuina officia celebrare; & Paulus Tertius Bull. 48. & Gregor. XIII. in Bulla Vsum Altaris, & in alia decet Romanum Pontificem, idem concesserunt de Altare portatili Patribus Societatis Iesu.

Videas tamen pro hac materia Concilium Tridentinum sess.22. & aduerte, quod Oratoria, quæ solent esse in Monasterijs, Claustris, Infirmarijs, &c. nec sunt priuatæ domus, nec extra Ecclesiam; vt Lezana demonstrat cum auctoritatibus, tom.1. cap.21. num.14.

Appel-

Appellare.

Licet appellatio ab aliquibus Summis Põtificibus fuerit interdicta aliquibus Regularibus, tamen vt notatur in Compendio *Priuileg Mend. & non Mend. sub hoc verbo Appellare, hoc est intelligendum, vbi iustitia non periclitatur, & modus non exceditur. Quare Superiores non ex hoc eximuntur à iure communi, ad quod omnes Catholici tenentur, nec ab ijs, quæ sunt de substantia, & essentia iuris, vt sunt testes idonei, legitimæ probationes, & legitimæ defensiones: Sed eximuntur ab apicibus & rimulis iuris, vt sunt porrectio libelli, citatio in die feriata, & his similia, sine quibus in iudicio contentioso procedi non potest: Sicuti statutum mandans procedi de plano, & manu regia, non tollit substantialia iudicij. decis.*445.*p.*1. *in nouissimis.*

Religiosis quo ordine concedatur appellatio.

Hinc Gregorius XIII. Bull. 27. *Anno* 1575. *quibus fuerat interdicta appellatio à correptione, & punitione suorum Superiorum, concessit appellationem ad Generalem, Protectorem, vel Papam: & à Sacra adhuc Congregatione Cardinalium est impositum decretum A.*1587. *Quod appellatio hoc modo prosequatur, scilicet à Guardiano ad Prouin-*

cia-

ciale: à Prouinciali ad Generalem: à Generali ad Protectorē: à Protectore ad Sacram Congregationem. At cum appellatio ad Sedem Apostolicam conceditur, licet regulariter loquendo fieri debeat ordinatè, à Priore: vel Guardiano ad Prouincialem, & ab hoc ad Generalem; casu tamen quo à prædictis non speretur remedium contra iniuriam illatam appellanti; licitè fieri poterit immediatè ad Sedem Apostolicam. ex Lezana tom.1. c.9. num.7.

Quando possit immediatè fieri appellatio ad Papā.

Et sciendum ex Ghisilerio in suo modo formandi processum cap.15. de appellatione, quod vltra tres vices minimè conceditur appellatio, vt causæ terminari valeant, quorum exitus alioquin videretur vnquam. Adde quod Iudices ipsos, toties à recto iudicio deficere præsumi non debet. Conceditur tamen ter appellare, vt si reus nouam fortassis iuris, aut facti rationem inuenire possit, quam alijs coram Iudicibus aut nequiuit, aut nequaquam proponere nouit, ea se tueri ratione, ac defendere possit.

Quoties conceditur appellatio.

A Tamburrino in de Iure Abbatum disput.13. quæst.2. determinatur, & concluditur, quod Abbates, & Prælati regulares, qui ad vitam, vel ad certum tempus crāetur, nequeant intra illud tempus absque iusta causa à Superioribus deponi, quia hoc

Si superiores intra tempus officij possint deponi.

esset

esset contra charitatem, & iustitiam legalem. Priuare enim Religiosum Abbatia sine causa, esset illi pœnam sine culpa imponere, quod absque dubio illicitum est, &c.

Quid de Prioribus. Prior non potest ab Abbate sine causa remoueri, decis. 772. in prima parte in nouissimis, & licet deinde decis. 778. dicatur quod Abbas potest remouere Priorem manualem, etiam sine causa, additur tamen in ipsa decisione, dummodo absit malitia, & non subsit præsumptio alicuius odij.

Benedicere Ecclesiastica.

IVlius II. Bulla 10. concessit Ordini Minimorum, vt Generalis illius, Prouinciales, & eorum Vicarij possint, & valeant benedicere corporalia; & alia ornamenta Ecclesiastica suorum locorum, & domorum. Item omnes, & singulas eiusdem Ordinis Ecclesias, Cœmeteria, & Oratoria, sanguinis, vel seminis, aut alias quomodocumque polluta, vt etiam notatur apud Confectium in de Priuilegijs pag. 434 & idem Iulius II. Bulla 18. concessit Generali Heremitarum S. Augustini, & eius Vicario generali, vt possint sacrare, & benedicere corporalia, & ea, quæ sacris vsibus necessaria sunt.

Abbati Montis Virginis concessum est ab

ab Vrbano IV. Bulla 6. vt posit benedicere calices, & cõcedere indulgentiam 40. dierum sub his verbis, Tibi fili Abbas, & successoribus tuis concedimus de gratia speciali, &c.

Priuilegium benedicẽdi calices.

Tamburrinus notat in suo de Iure Abbatum tom.1. disput.23. quæst.1. quod S. C. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum declarauit decisionem à se alias editam, quod Abbates vtcunque benedicti benedicere non posint ea, in quibus vnctio requiritur, vt calices, altaria, &c. non obstare quominus idem munus prædictæ benedictionis expendere queant, si specialibus Sedis Apostolicæ Priuilegijs, quibus ijdem Concilium nequaquam derogat, muniti fuerint. Datum die 15. Septembris 1614.

Declaratio in fauorem Abbatum, qui benedicti sunt.

Item in disput.23. quæs.4. subiungit, quod Abbates possunt Altaria tam portatilia, quàm fixa consecrare. Quod probat exemplo suæ Ecclesiæ Romæ. Nam Anno 1624. Illustrissimi & Reuerendissimi Visitatores Apostolici acquieuerunt, quod Altaria S. Praxedis per Abbatem dictæ Ecclesiæ consecrata essent; & confirmat ex rubricis Missalis Monastici, auctoritate Pauli V. recogniti, vbi in rubrica de præparatione Altaris habetur, quod debet esse consecratum ab Episcopo, siue ab Abbate, & loquitur ibi vniuersaliter de omnibus Abbatibus. Item & in Collectanea

An Abbates possint Altaria consecrare.

Bul-

Bullarij Barbosæ in verbo Abbas est notatū, quod Abbates Cassinenses in ipsorum Ecclesijs, possunt etiam consecrare Altaria lapidea ex Pio IV. Const. 97. 1565.

Tamen in eadem Collect. Bull. Barbosæ sub eodem verbo Abbas dicitur, quod Abbates, Priores, Guardiani, & alij Religionum Prælati, etiam ex Societate Iesu, habentes Priuilegia benedicendi vestes sacras, Cœmeteria, & similia; dicto Priuilegio vti non possint, nisi in ijs rebus, in quibus sacra vnctio non adhibetur; & pro seruitio dumtaxat Monasteriorum, & Ecclesiarum propriarum è Sac. Congreg. Rit. die 13. Martij 1632. Sed hoc non obstante, probabile videtur sub nomine Abbatum communiter, de quibus loquitur Sac. Congr. Rit. non includi Abbates benedictos, de quibus loquitur Sac. Congr. Cardinalium superius citata: imo cū talia benedicere non includat præiudicium tertij, neque sint ex ijs, quæ habentur difficilis concessionis, probabile etiam videtur ratione communicationis Priuilegiorum Abbatum non benedictorum cum benedictis, etiā eos talia benedicere, & consecrare posse; cum iam Ordines Minores, quod maius videtur conferre possint. Tamen quod ad hanc totam materiam benedictionis me remitto iudicio Sapientiorum, & decis. SS. Congregat.

Fra-

Fratres Beatæ Mariæ de Mercede, certis diebus possunt Confratres, & Sorores cum solemni benedictione Adiutorium nostrum, & Sit nomen Domini benedictum prius, benedicere : & deinde eis bona, quæ fiunt in Religione communicant, ex Concessione Clementis VIII. Bull.4. & 79. Priuilegium solemniter benedicendi

In Collect. Bull. Barbosæ sub verbo Abbas notatur, quod Abbas quauis habeat vsum mitræ, & baculi, & solemniter populo inter Missarum solemnia benedicere possit, tamen priuatum benedictionē per viam subditis dare non potest è S.C.R. die 17. Iulij A. 1604. Nota illud per viā, per quod non obstat doctrinæ, quæ habetur à Tamburino in de Iure Abb. tom.1. disput.21. quæst.8. scilicet, quod Abbates tam accedendo ad Altare ad pontificalem Missam celebrandam habitu domestico, quàm ab eo recedendo, post eiusdem Missæ pontificalis celebrationem, vel transeundo per Ecclesiam, possunt benedictionem populo præsenti elargiri. Quia cum possint maius, quod est populum benedicere solemniter; poterunt etiam minus.

Si dicas, Priuilegia hoc eis non concedunt. Respondeo, eadem Priuilegia concedere eis celebriorem, quæ est illa solemnis in Missa, ergo videtur etiam eis concedere minorem. Nec inde alicui præiudicium infertur;

tur; & talis opinio videtur valde probabilis ex ratione allata, & etiam quia non videtur obstare decisioni Cõgregat. supradictæ. Quia ipsa loquitur de benedictione per viam, non per Ecclesiam.

Abbates an possint solẽniter benedicère etiam coram Episcopis, & Cardinalib.

Et quæs.9. eiusdem supradictæ disputationis habetur, quod Abbates ex speciali Priuilegio possunt populo solemniter benedicere etiam coram Episcopis, & alijs maioribus Prælatis. Et hoc Priuilegium praxi demandatum fuit Romæ, coram duodecim Eminentissimis Cardinalibus in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Pace, per Abbatem eiusdem Ecclesiæ A.D. 1614. in festo Visitationis Beatæ Virginis. Hoc non legi reuocatum, vnde securè mihi videtur posse sequi, quod hic dicit P. Tamb.

Conuersi si possint tãgere Calices.

Ex quo hic facta est mentio de vasis sacris, inter quæ primo connumerãtur calices, ideo sciendum, quod concessiones tangendi calices fuerunt viuæ vocis oracula, quæ post reuocationem præsertim Vrbani VIII. nulla sunt, nisi de nouo concedantur: ideo extat alia concessio Sixti IV. pro Fratribus professis conuersis, Ordinis S. Augustini, cuius vigore dum Sacristiæ curam gerunt, scilicet dum Sacristarum officium exercent, possunt tangere Calices, Patenas, & Purificatoria, cum necesse erit. Quæ concessio quamuis

neque

neque per Bullam, neque per Breue facta sit, quia tamen à Papa videtur subscripta; ideo non apparet viuæ vocis oraculum, & per consequens hoc tempore subsistit. tom. 2. cap. 8. nu. 33.

Et sacra vasa tangere, cum in eis non continetur Corpus, aut Sanguis Christi etiam est illicitrm conuersis, secluso Priuilegio. Huius tamen præcepti transgressio secluso contemptu, solum est venialis; imò si rationabilis causa, vel moralis necessitas adsit, nulla erit culpa id facere. Lezana vt supra & citat ad hoc Suarez, Sotum, & alios.

Hæc iudicauimus sufficere circa benedictiones rerum, & personarum, & etiam circa consecrationes.

Bona:

POssunt Religionum Prælati applicare alijs bona opera suorum subditorum, illisque tribuere litteras talis communicationis, non solum ex Priuilegijs, vt habetur in cap. Priuileg. Mend. & non Mend. verbo Indulgentia, sed etiam quia iure communi quilibet Prælatus cuiuscunque Congregationis potest id facere. S. Thom. in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 1. Litteræ communicationis possunt concedi.

Fratrum Prædicatorum S. Dominici

Bona incerta intrantium Religionem quibus possint applicari

Religionem intrantes, bona incertis personis debita, ipsius Religionis locis applicari possunt ex Gregorio XI. Const. 7. & succedunt in bonis temporalibus, ac si essent in sæculo ex Clemente IV. Const. 1. & hoc eodem Priuilegio gaudent Fratres Minores Conuentuales ex eodem Pontifice, & eadem Constitutione. Item pro bonis Nouitiorum incertis personis debitis, extat Priuilegium Sixti IV. Carmelitis concessum in Bulla, Dum attenta; quod à Superioribus in pios vsus conuerti valeant, prout secundum Deum viderint expedire; vt notatur à Lezana in de Obligationibus Religiosorum cap. 24. de Nouitijs.

Aliud Priuilegiũ pro Pp. Iesuitis.

Societatis Iesu Religiosi non professi, dominium bonorum retinent, ex concessione Gregorij XIII. Const. 89.

Sixtus IV. Bulla 6. Anno 1474. statuit, vt cum contigerit Monasteria Monialium S. Claræ destitui, imò & aliarum sibi subiectarum, perpetuis vsibus Fratrum, sub quorum cura erant, applicentur.

Bona apostatarũ, quibus debeantur.

Ea bona, quæ acquirit Religiosus apostata, vel fugitiuus, etiam peccando aliquo genere peccati, præter peccatum contra iustitiam, si non moriatur in apostasia, vel fuga, pertinent ad Religionem, D. Antoninus 3. p. tom. 16. cap. 5. Siluester Rosella, & alij citati á Lezana in de Obligationibus Relig. cap. 16.

cap.16. num.20. Secus dicitur si moriantur in apostasia, vel fuga. Quia pertinent ad Cameram Apostolicam propter Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, Officij nostri. Si autem quæ acquisiuit Religiosus sua industria, etiam peccando aliquo genere peccati, præter peccatum contra iustitiam, in vita dedit Religioni, non videtur restituenda Cameræ, nisi Camera petat. Quia nemo tenetur ad pœnam ante condemnationem, vt docet Suarez 4. tom. de Religione, tractat. 8. & citatus vbi supra.

Iudæis ad fidem conuersis, bona, quæ restituenda forent, si personæ quibus facienda sit restitutio incertæ sint, condonauit Paulus III. Const. 32. & efficiuntur ciues loci, vbi baptizantur. Priuilegium Iudęorū circa bona.

Confessio, & Confessores.

PRoprie tractare de huiusmodi materia, pertinet ad Summistas, ideo ad eos Lectores remittimus, & nos solum tangemus ea, quæ sunt Priuilegia, vel sapiunt naturam Priuilegij.

Primo igitur notamus, quod ne Prælati errent in absolutione à casibus, & censuris reseruatis, vel dispensatione in irregularita-

tibus propter Priuilegia, debent aduertere ad formalia verba Priuilegij, concessionis, vel indulti, quo vti volunt. Aliquando enim in illis certæ conditiones apponuntur, quibus non seruatis, absolutio, vel dispensatio nulla est. Nam aliqua ex ipsis Priuilegijs restrictionem habent respectu Prælatorum, alia non. Aliquando in illis conceditur absolutio, vel dispensatio, nisi peccata fuerint commissa in contemptum clauium, vel cum fiducia talium Priuilegiorum, aliquando vero non. Quædam etiam Priuilegia Religionibus concessa, expresè excludūt, quod alijs communicentur. Præterea multa ex Priuilegijs per non vsum, seu per contrarium vsum, aut etiā per renunciationem, omnino sublata sunt, vel etiam reuocata, vel moderata per appositionem clausulæ derogatoriæ. Non obstantibus quibuscunque Priuilegijs, &c. Suar. tom.4. de Relig.tract.8. l.2. cap.21.

Regulæ communes pro Priuilegijs.

Item circa dispensationem in irregularitatibus specialiter animaduertendum est, illam sine legitima causa concedi non posse, nec licitè, nec validè, etiam si talis causa in indulto concesso non exprimatur, vt necessaria ad dispensationem. Ratio sumitur ex natura dispensationis, quæ sine causa concessa, irrita est, & inualida. Nauarrus in Manual c 25. & Siluester verbo Dispensatio. Item etiam aduer-

aduertēdum, quod quamuis in aliquibus Priuilegijs Religionum concessa videatur facultas dispensandi in omni irregularitate, etiam semper debent intelligi exclusæ ab hac generali facultate, vltra illas tres, bigamiæ, occisionis voluntariæ, & abscissionis membrorum; etiam ille, quæ procedunt ex aliquo enormi corporis, vel etiam animæ vitio. Vt si aliquis sit lepra infectus, vel morbum caducum patiatur, aut sit conuinctus de peccato indicibili. Ratio est, quia cum casus isti sint specialissimi, sine specifica expressione non reputantur concessi. ex Lezana tom.1. cap.18. & citat Suarez cum Miranda.

Societatis Iesu Confessarij debitè expositi ad audiendas sæcularium confessiones, licet nullo litterarum gradu sint insigniti, possunt aperire litteras sacræ Pœnitentiariæ, & auditis confessionibus ad eos recurrentium, impositaque pœnitentia in litteris expressa, vel de iure imponenda, absoluere.

Ita eis concessit Gregorius XIII. Bulla 75. Anno 1582. Sed aduerte non esse securum potiri hoc Priuilegio, etiam per viam communicationis, illas Religiones, quarum Religiosi gradum doctoratus admittunt. Quia titulus, ratione cuius hoc concessit Pontifex Patribus Societatis, est quia ipsi non solent ad tales gradus promoueri. Quæ ratio cessat in alijs

Religionibus tales gradus admittentibus; vt dicitur à Lezana in de Obligat. Relig. c. 19.

Pro seruitoribus.

Sacerdotes regulares aliquarum Religionum, possunt familiarium Confessiones, scilicet sæcularium audire, qui actu seruiunt Religiosis, & inter eorum septa, ac domos resident addidit Lezana, subque eorum obedientia viuunt, licet non sint approbati ab Ordinario; vt habet Tambur. in de Iure Abb t. 2. disput 6. quæs. 16. & ab eo citantur Summi Pontifices, qui hoc concesserunt. Vnde in Collectanea Bullarij Barbosæ verbo Confessarius habetur talis declaratio S. Congregationis scilicet Confessarij regulares in Monasterijs, & Collegijs, vbi regularia instituta seruantur, possunt absque licentia Episcopi audire confessiones eorum sæcularium, qui sunt verè de familia, & communes commensales. Nec obstat decretum Sacræ Congregationis de anno 1568. vt notatur à supradicto Tambur. vbi supra, quia intelligitur de his, qui inseruiunt Monasterijs. sed non viuunt in eis, vt tonsores, sutores, & similes.

Qui dicātur familiares.

Religiosorum familiares, & domestici vocantur, qui in domibus Religiosorum commorantur, & illorum bonis aluntur, licet **aliquando ob aliqua negotia absint à Monasterijs: ita ex Ioanne de la Cruz capit. 7. de Priuilegijs.**

Item

Item quidam Regulares confessores, possunt suos famulos laicos, inter septa Monasterij cohabitantes, à casibus locorum Ordinarijs reseruatis, & pro tempore reseruandis absoluere, & hoc ex indulto Clementis VIII. Carthusiensibus concesso die 26. Maij 1602. nisi talis concessio sit reuocata, vel viuæ vocis oraculo facta. Quod adhuc videre non potui.

Et aduertendum, quod ad hoc, vt Confessores audire possint confessiones aliorum Regularium, requiritur licentia suorum Prælatorum. Ratio est, quia Confessores Religiosorum solum sunt vel Prælati ipsorum, vel ab ipsis deputati. Et non est credendum Pontifices concessisse aliquod Priuilegium vni Religioni cum præiudicio Prælatorum alterius. Siluester verbo Confessor; & Armilla verbo Absolutio. Excipiunt tamen aliqui pœnitentiarios Papæ, quia Papa est supremus Prælatus Religionum (Peirinis) cum prædicti Pœnitentiarij sint quasi Vicarij Papæ. De Confessoribus Regularium.

Religiosi itinerantes possunt quibuscunque Confessarijs regularibus, siue sæcularibus confiteri, & sat est, quod Sacerdotes regulares per proprios Prælatos ad audiendas aliorũ Religiosorum confessiones sint expositi, licet non sint approbati per Episcopum. Mirand. tom.2. q.33. atr.6. Regulares itinerantes quibus possint cõfiteri.

*Generales aliquorum Ordinum cum defectum natalium patientibus postquam vota omiserint, etiã dispensare possunt, vtad quoscunque sacros, etiam presbyteratus ordines promoueri, & in illis ministrare, nec non ad quascunque dignitates, & officia Congregationis eligi, & assumi valeant. Ita Sixtus IV. Bull.6. pro Minoribus Conuentualibus S.Francisci, & septima pro PP.S.Dominici, & Bul.*10. *pro Canonicis regularibus Ordinis Lateranensium.*

*Gregorius XIII. hoc idem concessit Religioni Ministrantium infirmis, sed cum duabus limitationibus, scilicet in foro conscientiæ tantum, & de præfecti generalis licentia. Ita Lezana tom.*1.*c.*18.

Nomine Ordinarij, quis intelligatur.

In Iubileis, seu Bullis, etiã Cruciatæ, nomine Confessoris approbati ab Ordinario; respectu secularium, intelligitur approbatus ab Ordinario loci, seu Diœcesis, respectu vero regularium, intelligi potest approbatus a suo Superiore regulari. Hoc fundatur in benigna interpretatione vocis, Ordinarius; vt docet Vincentius Filiuccius citatus a Lezana to. 1. *cap.*19.*n.*19.

De commutatione votorum.

Quoad commutationem votorum vide Bullam 30. *Iulij II. pro Canonicis Sancti Saluatoris.*

Romæ extat decretum S. C. Apostolicæ Visi-

Visitationis, de mandato SS. D. N. Vrbani VIII. quod Confessores in proprijs domibus confitentium, etiam extra tempus infirmitatum, possint audire confessiones Eminentissimorum, & RR. Cardinalium, Oratorum Regum, & magnorum Principum, nec non Ducũ, ac Romani Pontificis, qui fuerunt, vel pro tempore erunt, Nepotum: aliorum vero extra tempus grauis infirmitatis non: nisi de licentia Eminentiss. Cardinalis Vicarij, vel Reuerendiss. D. eius Vicesgerentis, in scriptis obtenta.

Apud Confectium in suo de Priuilegijs, cap. 3. pag. 416. habetur quod S. Cardinalium Congregatio *die* 2 *Iulij* 1587. *determinauit, & declararit, quod Regulares, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumue examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque & absque aliqua limitatione temporis, certorumue locorum, aut generis personarum admittantur. Qui nõ adeo idonei reperiuntur, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate probare, & admittere. Idem habetur apud Barbosam in ver. Episcopus.*

Aduertendũ tamẽ, & sciendum, quod approbatio cõfessariorum regularium potest ab Ordinarijs iuxta, & rationabili causa subsistente, restringi, & limitari ad certum tempus

pus, locum, atque personas. Vnde approbatus pro omnibus exceptis mulieribus, ex defectu ætatis, pro illis idoneus non censetur. Quia idoneitas confessarij consistit non tantum in scientiæ peritia, sed etiam in probitate vitæ, in morum honestate, modestia, deuotione, &c. & a Ioanne de la Cruz, c. 6. de Priuilegijs citantur quamplures Doctores hoc asserentes. Si tamen id fiat sine iuxta, & legitima causa, probabilissimum est talem restrictionem nihil valere.

Et non possunt omnes Confessarij vnius Cõuentus, priuari ab Ordinario facultate audiendi confessiones. Ita enim determinatum est a S. Congregatione 20. Nouembris, 1615. & si contra hoc decretum suspendantur, videtur eis non obediendum, cum excedant in tali casu Ordinarij limites auctoritatis, quam habent, vt est videre apud Lezanam tom. 1. c. 19. n 8. vbi citat & iura & plurium Doctorum auctoritates. Bene verum est, quod Regulares approbati ab Ordinarijs ad audiendas confessiones secularium, possunt a suis superioribus rationabili de causa reprobari, suspendi, & coarctari. Quia auctoritas eis concessa, semper intelligenda est, quo ad vsũ & executionem pendere a voluntate Prælatorum, ratione voti obedientiæ. ex Soto, & Graffio a supradicto Lezan. citatis vbi supra.

Approbatio Confessorum regularium nõ expirat per mortem concedentis. Quia id videtur suppori a Cõgregatione dum dicit, posse iterum a successore examinari, iuxta Bullam Pij V, 133. anno 1571. Vnde si successor non reuocet, semper durat approbatio. Ita Nauar & Suarez citati a Lezana t.1. c.19. Vbi subiungitur, quod Regulares approbati ab Episcopis ad audiendas confessiones secularium, si contra voluntatem suorum Superiorum audiant confessiones, peccant, propter votum obedientiæ, quod trasgrediuntur, valide tamen absoluunt, cum re vera habeant potestatem Ordinis, & iurisdictionis

Apud Confectium in suo Compendio de Priuilegijs cap.3. est notatum, quod regularis Sacerdos, semel in confessarium ab Episcopo generaliter, & indistinctè approbatus, non potest ab Episcopo approbante, ab officio confessarij suspendi. Quod intellige iuxta declarationem S.Cong. nisi ex noua causa ipsaque ad confessiones pertinente. Quoniam facta approbatione, Episcopus functus est officio suo, & cum regularis sit ab Episcopo omnino exemptus, ab eo non potest suspendi, sicut nec excommunicari. Et si de facto regularis suspendatur ab officio, suspensio nullius valoris, vel momenti esset: Ita vt absoluendo, valide sententiam absolutionis proferret

ret, delictum tamen regularis Prælato, ad quem pertinet correptio significandum est, qui Prælatus Fratres sibi subditos declarat ex causa sibi cognita non amplius pro sacris cõfessionibus audiendis idoneos haberi debere, & ex tunc omni iurisdictio ab eis aufertur. Ita vt munus antea susceptum, neque licite, neque valide amplius exercere valeant. Irritumque, & inane est, quicquid attentatur. Cetera, quæ possunt deseruire huic titulo, vide superius in verbo Absolutio.

Campana.

Priuilegium Cathedralis, & matricis Ecclesiæ.

PEr *Leonem Decimum Bul.22.anno 1516 in Concilio Lateranensi fuit inter alia prouisum, quod vt debitus honor matrici Ecclesiæ reddatur tã ipsi Fratres, quàm alij Clerici seculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis priuilegio muniti, die Sabbathi maioris hebdomadæ, antequam campana Cathedralis, vel matricis Ecclesiæ pulsauerit, campanas in Ecclesijs suis pulsare minime possint. Contrafacientes pœnam cẽtum ducatorum incurrant. Cæteris vero diebus non possunt impediri, &c. Et verè talis perogatiua rationabiliter videtur competere Cathedrali, in qua residet pastor animarum, & matrici Ecclesiæ,*

siæ, per quam sacro Fonte renascimur ad vitam immortalem.

Canonica Portio.

Canonica portio dicitur, quæ a Canonibus est approbata, & iure decretorum debita. Resolutio huius Canonicæ portionis consistit in hoc, quod Religiosi non tenentur aliquid dare de quibuslibet rebus eis oblatis, vel relictis, nisi inter eos, & clericos, aliqua pacta, vel conuentiones fuerint factæ: quæ seruandæ sunt, si scriptæ, & authenticæ habeantur, sic statuit Sixtus IV. Bul.6. & 7. anno 1474. quo ad quartam funeralem. Canonica portio, quæ dicatur.

Item Religiosi non tenentur de oblationibus quas occasione funerum, seu successionis, aut legati, vel relicti, aut fidei commissi, ad eos, & Ecclesias, & loca ipsorũ pietatis intuitu deuenire contigerit, iustitiam, seu portionem Canonicam exhibere. Sic concessit Cælestinus V. Bul. 1. suis filijs Cælestinis, & similiter hoc concesserunt alij quamplures Summi Pontifices alijs Religionibus, & signanter Paulus III. Patribus Societatis Iesu Bul.48.1550. Priuilegio S. Petri Cælestini verbo aliorum Pōtificum.

Con-

Confirmatio Prælatorum.

Clemens Quartus Bulla 4. Anno 1265. statuit, quod Generales Ministri Fratrum Minorum, statim postquam electi fuerint secundum Regulam, & Constitutiones Ordinis, eo ipso verè Ministri, & Generales eiusdem Ordinis sint effecti, hoc est, quod pro confirmatis habeantur.

Item Abbates generales statim electi, nulla super hoc à Sede Apostolica confirmatione petita, vel obtenta; eo ipso suæ administrationis officium habent, & illud tanquam Patres Abbates liberè exequi possunt. Sic etiã concessit S. Petrus Cælestinus V. Abbati generali suæ Religionis.

Quæ beneficia sint perpetua. *Et nota ex Patre Sigismundo in de electione, & potestate Prælatorum dubio 49. quod regularia beneficia non solum censentur perpetua, quando sunt electiua, scilicet facta per Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ, seu Conuentualis, sed etiam quando sunt Curata. Vnde quando Regulares promouentur ad Ecclesias Parochiales tanquam quilibet clericus sæcularis, quæ Ecclesiæ vel nullo, vel non pleno iure subduntur Regularibus tunc desinunt esse Monachi Monasterij; vt notat Panormitanus in cap. Monachi n. 3.*

Vnde

Vnde iure optimo non possunt amoueri sine consilio Episcoporum, qui eis talem curam concedunt, seclusis Religiosorum Priuilegijs, qualia habent quidam Mendicantes, & cum eis communicantes.

Quoties enim, dicit Suarez. 4. tom. de Religione, tract. 8. l. 3. c. 19. beneficij regularis collatio, non pleno iure spectat ad Superiorem Monasterij, sed simul ad Episcopum, vel aliũ Prælatum, tunc tale beneficium perpetuum erit, non manuale, seu amouibile.

Et beneficia regularia perpetua, & non manualia esse possunt ex institutione, consuetudine, vel priuilegio, & tunc Religiosi illa possidentes remoueri non possunt sine culpa ipsorum. Quia hæc est qualitas, seu natura beneficij perpetui. Nauar. Sanchez, & alij citati a Lezana t. 2. cap. 18. vbi subiungitur idem dici, quando talium beneficiorum collatio non pertinet pleno iure ad Superiorem Religionis, sed simul ad Episcopum, vel alium Prælatum. Sicut enim ea non possunt per solam voluntatem a Superiore Ordinis prouideri, sic nec ab ipso tolli. Vnde sunt perpetua. Ex quot capitibus beneficia regularia posśint esse perpetua.

Apud Barbosam in Collect. Bull. sub verbo Parochianus habetur, quod Parochi amouibiles, amoueri non possunt absque rationabili causa, ex S. Congregatione Consilij De Parochis

filij 1. Iulij 1628. Quod intelligitur magis verum, quando sunt amouibiles ad nutum non ipsorum Regularium, ut quidam ex Mendicantibus, sed ad nutum Cardinalis *Vicarij pro tempore in Vrbe.*

Parochi dicuntur Prælati.

Licet Prælati proprie illi dicantur, qui in vtroque foro iurisdictionem habent, vt docent Angelus, Siluester, & alij, tamen etiam Parochi largè dicuntur Prælati, imo & absolute ab aliquibus Sũmistis nuncupãtur Prælati, quia curam gerunt animarum. Ita Armilla, ita Tabiena in Verbo Conseruator.

Apud Sigismundum dub. 114. habetur, quod quando Pontifex ex certa scientia, & cum causæ cognitione, specialique derogatione, confirmat alicui aliquam ex his Prælaturis, nempè Prioratus, Abbatiatus, vel Guardianatus in perpetuũ, Profectò illo non potest deponi, vel inde amoueri sine speciali mandato Papæ. Ita Innocentius communiter receptus, teste Nauar. cum Rota.

Conseruatores Ordinum.

C*Onfectius in suo Compendio de Priuilegijs, in capite Cõseruatorum notat, quod præcipuum munus ipsorum est, susceptos in protectionem a manifestis iniurijs, & violentijs,*

tijs, tàm illatis, quàm inferendis defendere, nempe per cẽsuram ecclesiasticam, & brachij secularis inuocationem; iniurantes ad satisfaciendum lesis compellendo, aut ne offendant, prohibendo.

Leo X. Bull 21. Fratribus Mendicantibus dedit conseruatores, omnes Ecclesiarum Prælatos.

Et quamuis conseruator secundum iura non permittatur extra Ciuitatem, aut Diæcesim, in qua fuerit deputatus, contra aliquem procedere, aut aliquem extra locum itineris vnius diei remotiorem protrahere; Conseruatores tamen Fratrum, secundum Priuilegia id possunt facere. Sic concessit Clemens VII. Bul 6. Anno 1524. non obstantibus Bonifacij VIII. de vna, & Concilij Generalis, de duabus dietis. Dummodo vltra tres dietas aliquis non trahatur.

Dietæ in partibus Italiæ 20 milliarium spatium constituunt. Et sciendum, quod ea, quæ Sancta Synodus limitauit circa Iudices conseruatores sess. 14. de reformat. cap. 5. non comprehendit personas Regularium, vt est notatum sub eiusmodi ti ulo Conseruatores, in Compend. Priuil. Mend. & non Mend.

Tamen Clemens VIII. An. 1592. reuocauit omnes, & quascunque Iudicum Conseruatorum deputationes, quæ non habuerint quali-

 tates

tates requisitas a Bonifacio VIII. & Bulla habetur 3. tom. Bulla 11. f 3. & Gregor. XV. Anno 1621. in Bulla, quæ incipit Sanctissimus in Christo Pater, assignat quomodo Conseruatores habeant eligi: ideo quando casus talis electionis occurreret, prædicta Bulla esset videnda, & consideranda.

Procuratores domorum Minimorum fruuntur gratijs a Iulio II. concessis, quod scilicet omnium sacrificiorum, & quorumcunque aliorum bonorum, quæ in Religionibus fiunt; participes reddantur. Lez. tom. 2. cap. 17.

Conueniri in Iudicio.

SAnctiss. P. Cælestinus V. an. D. 1294. exemit omnia Monasteria sui Ordinis, & quæ sunt, & quæ erunt & ipsorũ personas, & totũ Ordinẽ ab omni prorsus iurisdictione potestate, ac dominio Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum omnium, &c. Neque vult, quod vel ratione delicti, vel contractus, vel alterius rei, de qua contra eos ageretur possint conueniri coràm locorum Ordinarijs, non obstante Constitutione Innocentij sui prædecessoris.

Religiosi exempti, in quibus non sint exempti

Et ipsi Religiosi haben: aduertere, loquor de exemptis, quod licet subditi non sint Episcopis,

scopis, tenentur tamen obedire Constitutionibus Synodalibus concernentibus actiones communes totius populi, & obseruantiæ regulari non derogantibus, vt de ieiunijs seruandis, celebrandis aliquibus festis, & alijs huiusmodi. Non quidem debito obedientia, sed debito, & iure naturali, quo sicut partes, & membra illius populi tenentur se toti corpori conformare.

Et propter eandem rationem tenentur obseruare vota, & promissiones facta a populis, vel Ciuitatibus, in quibus morantur. Ita Lez. tom.1. c.11. & citat Vasquez, Sanchez, & alios. Et deinde subiungit, quod quamuis Religiosi immunes, & exempti sint a secularium Iudicum iurisdictione, nihilominus non sunt exempti a legibus ciuilibus, quæ non sunt contra libertatem Ecclesiasticam, sed ad bonam Reipublicæ administrationem. Quia & ipsi sunt ciues, & membra Reipublicæ & subiacent capiti, scilicet Magistratui, vel Principi seculari. Et pro hoc citatur Victoria, Molina, cum alijs. Tamē Religiosi transgressores legum, seu constitutionum ciuilium, non sunt deferendi ad Iudices seculares, sed ad suos Prælatos, qui pro grauitate transgressionis, & scandali inde sequuti, illos punire debent, aliter enim procedendo, contra Decreta in Bulla Cœnæ Domini fieret.

Religiosi nō obediendo magistratui a quibus puniendi,

Conuentiones.

LEo X. Bull.22. An. Dom. 1516. *statuit in Conc.Lateranensi, quod pacta, & conuētiones inter Fratres & Prælatos, ac Curatos pro tempore inita valeant, nisi per sequens Capitulum Generale, vel Prouinciale refutata, & per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerit.*

Dare, vel Donare.

CIrca largitiones munerum, modo obseruanda est dispositio Clementis VIII. Bul.28.in qua casus exempti, in quibus licet donare sunt sequentes. Primo, quando in Cap. Generali ex causa approbata, & iusta, fit aliqua donatio. Secundo, quando donantur quædam leuiora osculenta, & poculenta, seu ad deuotionem, & Religionem pertinentia, cum licentia Superioris, quæ licentia potest dari semel pro semper, ne sæpè obtundantur aures Superioris. Nec debet esse quotidiana, quia esset facere fraudē legi, & multa modica faciunt vnum satis. Tertius casus est, pro subleuādis pauperibus indigētibus necessariorū, & non valentibus decenter, & secundū statum, & conditionem suā viuere. Sunt & alij

casus,

casus, qui tacite comprehenduntur sub illis verbis, aut alias in rebus licitis. Vnde possunt fieri aliquæ commessationes in recompensationem; Item quando remuneratur, siue compensatur aliquod beneficium, & obsequium, verbi gratia, famulis Monasteriorum vltra salariũ taxatum, potest aliquod aliud in remunerationem bonorum seruitiorum eis dari. Nam ad hoc, quod sit vera donatio, debet fieri sine vlla causa, vt Summistæ, Theologi, & Canonistæ docent. Talia notauimus, quia etiam reperiuntur notata in Comp. Priuil. Mend. & non Mend. & sapiunt naturam Priuilegiorum. Quæ sit vera donatio.

Prætermittimus sub hoc titulo dare, quæ solummodo concernunt conscientiam, cum non sit nostri intentus tractare hic de casibus conscientiæ. Notabimus tamen etiam hoc, quod habetur tom. 2. de Iure Abb. Tamb. disput. 21. quest. 9. & correspondet prædictis, scilicet quod potest Monachus ex Abbatis licentia, peculium habens, ex eo, vel ex alijs, quæ propria industria acquirit, aliquid in eleemosynam suis consanguineis indigentibus donare, vsque ad decem ducatorum summam, vel plurium, considerata secundum prudentum iudicium illorum indigentia, semel & pluries in Anno. Nec obstat motus proprius Clementis VIII.

Quia intentio Summi Pontificis fuit solummodo obuiandi abusibus inter Religiosos, non autem prohibendi ne subueniant consanguineis in necessitate constitutis, quod est opus maximæ charitatis, & eleemosynæ.

Decimæ.

Decimæ quare soluerentur

P*Riusquam ad Priuilegia de decimis deueniamus, scire oportet ex Sancto Thoma 2.2. quæst. 87. & 2. quolibet, art. 8. quod decimæ in lege veteri debebãtur ad substentationem ministrorum Dei. Vnde illud præceptum erat partim morale, iure diuino, & naturali ratione inductum, quæ dictat, necessaria ministranda esse a populo ministrantibus in cultu diuino: partim iudiciale, quo ad determinationem certæ partis Tribu Leuiticæ possessiones non habente. Sed & cum Ceræmonialibus conueniebat quantum ad aliquam significationem. Cum igitur præcepta moralia in noua lege necessario ligent, & Ceræmonialia necessario dimittantur, & Iudicialia obseruari possint, & non obseruari; Præceptũ decimarum in noua lege, partim obligat inquantum est morale, partim ex institutione Ecclesiæ, quæ Ecclesia vt vult S. Thomas statuere potest, vt loco decimarum detur octaua, vel duodecima, &c. Quando igitur Vincentius*

Præceptum decimarum quo iure obligat.

tius Episcopus Beluiacensis dicit in suo Speculo doctrinali lib.9. tractans de decimis, quod Papa non potest dare Priuilegium de decimis non soluendis, debet intelligi, quatenus sunt de iure diuino, non Ecclesiastico. Imo alicubi milites accipiunt decimas. Ex concessione enim Ecclesiæ, datæ sunt eis propter aliqua seruitia Ecclesiæ facta.

Barbosa in Coll. Bull. ver. Decimæ, habet, quod decimas soluere tenentur Regulares pro prædijs acquisitis emptione, vel donatione Clericorum quas eadem prædia prius soluebant, antequam ad illorum manus peruenissent, è Sacra Congr. Concilij 18. Decembris, 1627. iuxta caput Nuper. At multi Summi Pontifices exemptionem iam concesserunt de decimis. Eugenius IV. Bulla 18. Anno Dom. 1439. exemit Moniales S. Claræ a solutione decimarum, & Pius IV. in Constitutione sua quinta, Anno 1560. exemit Moniales omnium Ordinum a solutione quaruncumque decimarum. Martinus V. Bull. 4. immunes reddit Fratres Carthusianos a solutione primitiarum, & decimarum. Et Bull. 8. hoc idem concedit Cisterciensibus, & Sanctissimus Pater Cælestinus V. in sua Bulla pro nostra Cælestinorum Cõgregatione præcipit vniuersis Ecclesiarum Prælatis, quatenus eorum subditis auctoritate Apostolica inhibeant, ne

De quibus Regulares habeant soluere decimis.

Priuilegium Cælestini quo ad decimas, &c.

a prædictis Cælestinis decimas exigere aliquatenus præsumant, non obstante longa præscriptione, seu potius violentia super dictis exactionibus. Et **Pius V. Bull.** 11. *Ordinibus Mendicantium concedit amplam exemptionem pro eorum bonis, & personis a solutione gabellarum, & quarumcunque contributionum, onereque hospitandi milites, &c.*

Alia circa decimas vide in Superiori libro 2. in solutione dubiorum circa res.

Dispensare.

QVoniam secundum iura, illegitimè natus, sine dispensatione non potest eligi in Superiorem, ideo Iulius II. Bull. 10. & Sixtus IV. Bulla 6. & 7. & Clemens VIII. in Bulla Decet, & Paulus V. in Bulla Ex quo diuina, Prælatis quarundam Religionū concesserunt cum huiusmodi posse dispensare. cū certis conditionibus, & quamuis Prælati Religionum non possint dispensare cum illegitimis ad officia, propter priuilegia concessa Religionibus ante Constitutionē Sixti V. quia ab ipso abrogata fuerunt, possunt tamen secūdum moderationem factam a Greg. XV. in Constitutione, quæ incipit, Circūspecta Romani Pont. prouidentia, & propter priuilegiū supradicti Gregorij concessum Congregationi Cle-

Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

Et nota, quod illegitimi, qui postea sequto matrimonio legitimati sunt, non comprehenduntur sub Constitutione Sixti V quia ita declarauit ipsemet Pontifex in posteriori alia Constitutione, quæ incipit, Ad Romanum Pontificem.

Vtile iudicauimus hic notare cum Patre Sigismundo in de electione, & potestate Prælatorum, dub. 97. quod Canonistæ citantes stylum Curiæ affirmant potestatem quantumcũque amplissimam datam ad absoluendum à censuris, non extendi ad irregularitatem. De irregularitate. *Cuius ratio potissima est, teste Rota, quia irregularitas tollitur dispensatione, non autem absolutione. Absolutio est actus iustitiæ, quia non datur contra ius, nam potius lex præcipit penitentem absolui, & per talem actum non relaxatur. Dispensatio vero est exceptio à communi lege, seu prohibitione, quæ datur contra, vel saltem præter ius, & est actus iurisdictionis voluntarius, quo vulneratur lex, dum ex parte tollitur.*

Dispensare cum ordinandis in interstitijs, regulariter spectat ad Episcopum ordinantem, etiam quo ad Religiosos, vt expressè colligitur ex Concilio Trident *cap. 11. sess. 23. Et ita fuit decisum à S.* Congregatione *eius-*

dem

dem Concilij, Romæ die 7. Septembris 1593. Verum quo ad Ordines Minores, spectat ad Abbatem. Nam accessorium sequitur naturam principalis. Cum ergo Abbatibus competat suis Monachis minores ordines conferre, consequenter etiam ipsis conuenit super interstitijs dispensare. Quo vero ad dimissorias, Tambur. in de Iure Abb. tom.2. disp.1. quæs.26. dicit, quod dimissorias litteras Abbates dare nequeunt Clericis sæcularibus sibi subditis, ex Concilio Tridentino sess.23. c.10. Quod tamen limitatur, nisi sit Ordinarius priuatiuè ad Episcopum, & habeat ius visitandi, & Synodum congregandi.

Causa sufficiens dispensandi cum initiatis primis ordinibus minoribus, in interstitijs, est necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ. Necessitas, quando non habet, qui Capellis, & beneficijs satisfaciant: vtilitas, quando alijs pluribus indiget, vt melius seruiatur. Ita S. Antoninus 3.p. tom.14. de tempore, & loco ordinandorum.

Si Religiosus habeat sufficientem, & certam causam, vt secum in Regulæ obseruantijs dispensetur, & non adest Prælatus, qui id faciat, vel ex odio, aut malitia nolit dispensare, tunc potest secum per epicheiam dispensare. Ita Rodriquez, & Laurentius de Peirinis. Et est ipso iure dispensatus,

Henri-

Henriquez lib.6. de pœnit. cap.13.

Forma tollendi irregularitatem, hæc est, vt habetur apud Confectium in de Priuilegijs. Dispenso tecum in irregularitate, quam ob sacrorum ordinum susceptionem in excommunicatione, vel in illis administrationem in suspensionem contraxisti; & restituo te ad dictorum Ordinum exercitium. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Forma qua tollitur irregularitas.

Ecclesiarum immunitas.

Sixtus Quartus Bulla 6. 1474. concessit Fratribus Minoribus, vt in Ecclesijs Curatis, seu Parochialibus, quas eos habere contigerit, possint per Capellanum per eos pro eorum nutu ponendum, & amouendum curam huiusmodi exercere, qui quamdiu capellanatus huiusmodi fungetur officio, ac si dicti Ordinis professor existeret, & Ecclesia, ipsius domus, qua domus Fratrum prærogatiua letetur.

Incidenter scias, quod Regularis præsentatus Episcopo ad Ecclesiam aliquam Parochialem a suo Superiore, posset ab eodē, etiam sine cōsensu Episcopi remoueri. Quia etiam sic præsentatus non liberatur à iugo obedientiæ: Lez.t.1.c.2.citans Nauar.cons.2. de reg. n.65. De Parochis

Sacra

Sacra Congreg. Concilij declarauit posse Abbates Ordinum, inuito Episcopo, reuocare absolutè ad Monasterium Religiosos exercentes curam animarum in Ecclesijs, quæ sunt unitæ ipsis Monasterijs. Barb. in Collect. Bullarij ver. Abbas. Ad hoc autem, quod licitè, & prudenter fiat reuocatio, requiritur aliqua causa rationabilis, vel quæcunque vtilitas, vel commoditas Religionis, aut Ecclesiæ. Casu autem, quo constaret reuocationem factam esse malo animo, malitia, aut odio; posset Religiosus implorare auxilium Superioris, &c. Lez. tom. 2. c. 18.

Aduertẽdũ. quod non dicitur inuito Epsco p. Cardinali, nec Vicario Papæ, Sed tã. tum simpliciter Episc.

Apud Confectiũ pag. 360. notatur, quod regulares personæ, seu etiam seculares, qui curæ animarum secularium, Monasterijs annosæ, etiam ad nutum amouibiles præficiendæ sunt, per Superiores regulares, cum assensu tamen Ordinarij, & præuio eius examine, & approbatione deputari debent, sicut etiam per S. Congregationem Concil. Trid. super caput quintum, sess. 21. definitum fuit. Excipiuntur tamen illa Monasteria, seu loca, in quibus Abbates Generales, aut Capita ordinũ sedem Ordinariam principalem habent, aut iurisdictionem spiritualem & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent.

De accessu ad Synodum

Et aduertendum, quod licet in de Iure Abb. tom. 1. disput. 24. quæst. 4. legamus, quod Ab-

Abbates, & Prælati regulares exēpti, ad Diæcesanam Synodum accedere non tenentur, vt habetur ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. Quia Abbates Generales Capitulis Generalibus subduntur, & quia accedere ad Synodum Episcopi, est signum subiectionis, & Abbates sunt exempti ab Episcopi iurisdictione; hoc tamen intelligitur, nisi adsit consuetudo, vt ad Synodum vocentur, vel nisi habeant Cappellas, & Ecclesias Parochiales cum cura animarum. Quia tunc accedere tenentur vel mittere Capellanos.

Item sciendum, vt habetur quęs. 5. supradictæ disput. quòd Abbatibus in Synodo primus locus post Episcopum competit, & vt deinde notatur quæs. 6. Abbates exempti in Concilijs, & Synodis, ornantur mitris aurifrigiatis, non tamen aureis, vel argenteis laminis, Abbates non exempti vtuntur mitris simplicibus, albis, & planis. De loco Abbatum in eo Synodo.

Gregorius XIII. Bulla 8. statuit, quod Ecclesiastici, & Regulares quicunque absque irregularitatis nota, & alicuius censuræ Ecclesiasticæ, possint quando a Curia seculari fuerint requisiti, consignare malefactores, qui immunitate Ecclesiastica non possunt gaudere. Vide Bullam 2. tom. Bullarij Laertij Cherubini fol. 694.

Item sciendum est, quod Patroni Ecclesiarum,

ſiarum, ſcilicet qui Eccleſias fundarunt, conſtruxerunt, vel dotarunt; ex iure Canonico gaudent ijs Priuilegijs, quod eis conuenientia obſequia præſtari debent, & honorificius locus eis in ſuis Eccleſijs conceditur, & ſi ad ageſtatem deuenerint, Eccleſia debet eis ſuccurrere maiori cura, & obligatione quam alijs pauperibus. Et pro huiuſmodi Patronis tam viuis, quàm defunctis orationes, ſuffragia, & ſacrificia fieri ſolent, & fieri debent ad minus titulo gratitudinis: cum ſint inſignes benefactores Monaſteriorum. Et ad eos pertinet ius præſentandi ad beneficia, & eligi debet præſentatus a maiori parte ipſorum. Ex Lezana tom.2. c.9. vbi citat Silueſtrum, Sanchez, & alios.

Aedificare.

P*Ro huiuſmodi titulo vide Conſtitutionem 25. SS.D.N. Vrbani VIII.*

Electio.

Q*Væ de electione habentur, & quæ de ipſa ſcripſere Doctores, & multa ſunt, & ſcitu neceſſaria; cum tamen meum ſit in hoc opere dumtaxat tractare de Priuilegijs, ideo alijs prætermiſſis, ſolum notabo*

ea,

ea, quæ aliqualiter sapiunt naturã Priuilegij.

Quorum vnum est, vt Siluester docet in verbo Electio, citatus à Patre Iacobo de Graffijs, quod & si nunquam licet prælaturam quærere, tamen eam appetere à Deo, non vt quis præsit, sed vt prosit; licitum est. Quia velle promoueri à Deo non est præsemptuosum, cum ipse non præmoueat nisi dignos. Imò qui dignus est; non solum potest appetere, sed etiam & petere. Et ratio est, quia per hoc petit opportunitatem communicandi quod habet; quod laudabile est, & ad charitatem pertinens. Si liceat prælaturas appetere,

Prælati Monachorum S. Hieronymi de Obseruantia, scilicet Præpositus generalis, Procurator generalis, Priores, &c. ex Constitutione 21. Clementis VIII. possunt eligi etiam de numero subditorum.

Pater Iacobus Benedictinus in suis Decisionibus aureis, in de dignitatibus, quærens qualis debeat eligi in Prælaturam, respondit cum Hugone, melior, seu dignior hoc modo videlicet, quod si ad eandem prælaturam, vel Episcopatum concurrant duo, quorum vnus est Theologus, alter Canonista, si in loco magis ventilentur causæ, & lites; præferendus est Canonista. Si autem pullulent hæreses, vel est locus vicinus hæreticis præfertur Theologus: mixtus præfertur vtrisque. Qualis debeat eligi in Prælatum.

Quæ

Quæ doctrina conformis est doctrinæ S. Thomæ 2. 2. quæst. 185. art. 3. vbi concluditur in corpore articuli, quod qui eligendus est in Episcopum, non requiritur, quod sit melior simpliciter, quod est secundum charitatem; sed melior quo ad regimen Ecclesiæ; scilicet, qui possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacificè gubernare.

Priuilegium digniorum.

Pater Sigismundus in suo de electione, & potestate Prælatorum dub. 33. ponit hanc sæpius communiter repetitam à Doctoribus conclusionem, scilicet quod peccat mortaliter, qui eligit dignum, & omittit digniorem; & ratio est, quia iustitia distributiua, ac commutatiua læditur.

Et subiungit, neque obstat illud Pauli ad Timot. 3. & ad Titum 1. qui scribens de conditionibus eligendorum ad Episcopatum; non meminit conditionis comparatiuæ, vt scilicet eligendus sit cæteris dignior, sed tantum conditionum positiuarũ, vt scilicet sit sobrius, castus, &c. Nam respondetur cum grauissimis Doctoribus, D. Paulum illis in locis tot partes, & perfectiones exigere in Episcopo, & Pastore, vt aperte constet exigere digniorem, etiã si absolutè, simpliciter, & sine vlla comparatione loquatur. Positis enim illis perfectionibus in vno, poterit quidem dari par illi, non tamen melior, ac dignior.

Et

Et tandē notandum ex eodem dub.114. quod vbi cetera sunt paria, loquendo de promouendis ad Prælaturas, scilicet vbi datur paritas morum, ac vitæ integritatis, ac prudentiæ; præferendus est qui est doctor, & concionatoris, ac doctoratus laurea ornatus. Ita Rota decis.677. Qui præferēdus sit in electionibus

Eucharistia.

SAepius declaratum est a S.C.Episcop. & Regul. non posse regulares exponere Sanctissimum Sacramētum publicè adorandū, sine causa ab Ordinario approbata. Barbos. in Collect.Bullarij.Et Gauantus in Manuali Episcoporum verbo Eucharistia. quæ decreta seruari debent, nisi forsan publicata non sint, & consuetudine legitima oppositum alicubi habeatur Lez. tom.2.c.1.nu 26.

Clemens VII. concessit, quod Moniales, seu Religiosæ sub obedientia Fratrum Minorum existentes, possint in Ecclesia interiori in loco dicente habere Eucharistiam, vt notatur in Comp. Priuil. Mend. & non Mend. & non obstante, quod S.C. 7.Martij 1612. oppositum determinauerit, vt notatur in Coll. Barb. in verbo Moniales. tamen hoc scio in praxi haberi apud Capuccinas Moniales de Vrbe.

Excommunicatio.

Priuilegium cōmunicādi cum excommunicatis.

LEo X. Bull 2. concessit, quod Prælati, & Monachi Camaldulenses propter participationem etiam in diuinis cum excommunicatis, interdictis, suspensis a iure, vel statutis Ordinariorum, aliquam excommunicationis censuræ, aut peccati maculam non incurrant, nisi ipsi excommunicati essent specialiter denunciati. Idem concessit Sixtus IV. Bull. 10. Canonicis regularibus Lateranensibus.

Priuilegium Episcoporū de huiusmodi censura.

Episcopi habent Priuilegium iure communi, quod excommunicari non possint, nisi expressā mentio de illis habeatur, c. Quia periculosum in 6. Bene verum apostatæ, & fugitiui possunt vbique apprehendi, etiam quod detineantur ab Episcopis, propter constitutionem septimam Pij V.

Tabiena in verbo Absolutio credit, quod in necessitate, possit excommunicatus alterum excommunicatum absoluere, & ratio est, quia necessitas non habet legem. Alia de excommunicatione habentur apud omnes Summistas, omittuntur autem hic, quia non faciunt ad propositum nostrū de Priuilegijs.

Exem-

Exemptio.

Sixtus IV. Bull.6. & 7. Ann. Dom 1574. inhibuit locorum Ordinarijs, sub interdictu ingressus Ecclesiæ, & suspensionis a regimine, & administratione Ecclesiarum suarū, & alijs quibuscunque pœnis, excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis omnium, beneficiorum Ecclesiasticorum, & inhabilitationis ad illa, ro ipso per eos, qui contrafecerint incurrendis, ne Ordines Fratrum Prædicatorum, & Minorum, præter, aut contra tenorem Priuilegiorum suorum inquietare, seu molestare præsumant. Pœnæ inquietantiū Religiosos in Priuilegijs.

Eugenius IV. Bull.9. concessit Monachis S. Benedicti, vt ad concilia generalia, prouincialia, seu synodalia, ire, seu mittere, nullatenus cōpelli possint. Contra quæ, quæuis persona cuiuscunque conditionis, aut status existens, attentare præsumens, nisi facta de huiusmodi indulto notitia, destiterit; ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Et Sanctissimus P. Cælestinus V. D. Benedicti filius, & Cassinensium partus, amplissimam suis Cælestinis exemptionem ad modū supradictarum concessit. Et hoc, & omnia alia contenta in eius Priuilegio, deinde fuerūt

M 2 con-

confirmata a pluribus Summis Pontificibus. Et nostris temporibus etiam a Clemente VIII. Paulo V. & Vrbano VIII. qui ad præsens & feliciter & gloriose Orbem regit, & omni potentis Ecclesiam gubernat.

Familiares, seu Famuli Religiosorum.

QVæ deseruire possunt pro huiusmodi tit. vide in verbo Absolutio, & in verbo Confessores.

Generales Ordinum.

De vnione Monasteriorum.

ET Capitula generalia possūt Monasteria, & prioratus etiam Monialium vniore alijs Monasterijs, sine licentia Diœcesani, aut alterius. Ita concessit Pius II. Bulla 6. Priori benedictino valeoletano, scilicet posse duo, vel tria Monasteria in vnum vnire, vbi duodecim saltem Monachi constituantur.

Et Innocentius VIII. Bull. 2. concessit Prædicatoribus, quod Conuentus non valens sustentare octo Religiosos, possit alteri incorporari per Vicarium Congreg. cum diffinitoribus, dum tamē sine scandalo fiat. Ita Ioannes de la Cruz cap. 9. de Priuilegijs.

Possunt

De titularibus.

Possunt Generales Carmelitani instituere Prouinciales titulares Angliæ, Hiberniæ, Datiæ, Saxoniæ, & aliarum Prouinciarum, quæ olim in Religione verum, & reale ius, & dominium, & iurisdictionem habuere, vt cõstat ex decreto S. Concilij anno 1592.

Et S. Congregatio declarauit, nõ prohiberi titulares ferre suffragia in electionibus Superiorum, ex decreto S. C. Trid. sess. 25. *de Regul. c.6. sed mentem Concilij fuisse tollere suffictos titulares, quando solum pro tempore electionis faciendæ, ad hunc effectum sunt electi: non vero titulares perpetuos; vt notatum est a Lezana in de Obligationibus Reg. cap.*18.

Procuratores Generales decorantur præeminentia loci in Cappella Santiss. D. Papæ, & in eadem Cappella orant Procuratores Generales Dominicanæ, Franciscanæ, Heremitanæ, Camerlitanæ familiæ, seruorũ B. Mariæ, & aliorum Ordinum iuxta Calendarij Romani dispositionem.

A quibus & qui possint eligi Abbates titulares

*Gregorius XIII. Bull.*54. *concessit diffinitoribus Congregationis Sancti Bernardi Ordinis Cistercienss, Regularis obseruantiæ, auctoritatem creandi tres titulos Abbatiales ex vnaquaque Prouincia, distribuendos inter senes effectos, & inhabiles ob maturam eorum etatẽ, & Abbates titulares huiusmodi, Priui-*

legijs aliorum Abbatum gaudent, &c. Paulus V. concessit Priori Generali Ordinis S. Augustini, quod Congregationem, & eius Conuentus per se, vel per aliam personam visitare possit; & Bulla habetur in 4. tom. Bullarij, perfecto a D. Angelo Cherubino Monacho Cassinense.

De visitatione.

Hereditas, & Hęres.

Clemens IV. Bull. 1. concessit, quod Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorũ possint liberè succedere in bonis temporalibus, in quibus succedunt in seculo existentes, ac bonorum ipsorum possessionem apprehendere, & liberè vendere, eorumque pretium in vtilitatem suam conuertere, prout Prælatis dictorum Ordinum visum fuerit expedire. Et P. Capuccinus in sua annotatione sub tali titulo in Comp Priu. Mend. & nõ Mend. subiungit, quinimmo non licet eorum parentibus eos à portione legitima repellere. Et hoc indubitanter est tenendum de Religionibus, quæ licet singulis proprietatem denegent, eis tamen in communi concedit, vt in regula Casin. Charthus. & similium. Sed hoc non currit in illis Religionibus in quibus ex propria regula interdicitur dominium, & proprietas alicuius rei etiam in communi.

Indulgentia.

QVamuis multæ, varieque Indulgentiæ concessæ sint à Summis Pontificibus, vtriusque sexus Regularibus, eas tamen reuocauit, & cassauit Paulus V. in Bulla edita anno 1606. & est 21. alias 26. inter Bullas huius Pontificis. Est autem aduertendum, quod quamuis per hanc constitutionem reuocentur omnes Indulgentiæ Regularibus concessæ, non tamen reuocantur Indulgētiæ concessæ Ecclesijs Regularium pro secularibus. Ita enim declaratum fuit à S. Congregatione Pium tamen, & probabile est nec esse reuocatas Indulgentias concessas Regularibus defunctis, aut etiam in articulo mortis constitutis. Nam ea, quæ speciali digna sunt nota, non censentur esse sublata, nisi expressè nominentur. Sic enim decet credere de Summorum Pontificum pietate. Et sic videtur declarasse eumdem Paulum V. vt notat P. Lez. in suo de obligat. Regul. c. 3. n. 19.

Quæ indulgentiæ sint reuocatæ.

De huiusmodi Indulgentijs vide q. q. regul. t. 2. q. 87. ar. 5.

Stante hac doctrina, notamus, quod quicunque confessor quemlibet Ordinis Religiosū in articulo mortis ab omnibus casibus, ac si in illo actu esset Summus Pontifex, absoluere potest. Et Indulgentiam plenariam concedere: ex indulto Innocentij VIII. pro

De Indulgētia plenaria

Monachis Cassinensibus Ordini S. Benedicti.

De Indulgẽtia Sanctiss. P. Petri Cælestini.

Occasione huius materiæ Indulgentiarum, notare teneor quandam amplissimam Indulgentiam, quam concessit Sanctissimus Pater Petrus Cælestinus V. in perpetuum, in Ecclesia S. Mariæ Coliismadij Ciuitatis Aquilanæ, in qua veneratur Sacratissimum Corpus supradicti Summi Pontificis: & est a culpa & pœna. Quæ quatenus per eam pœnitentes possunt absolui ab omnibus casibus, & dicitura culpa. Et quatenus ordinatur ad remissionẽ pœnæ debitæ, dicitur a pœna. Vt declaratur a Patre Iacobo Benedictino, in suis aureis decisionibus in tractatu de Indulgentijs.

Per talem enim Indulgentiam remittitur, & condonatur omnis pœna, quæ in præsenti, vel futuro seculo erat soluendo. Ex Miranda tom. 1. quæst. 46. ar. 9. Hoc idem habetur ex Bonacina, qui etiam citat quamplures alios Doctores, dũ tractat de Indulgentia plenaria, pleniori, & plenissima, & Iubilæo.

Quid sentiri possit de huiusmodi Indulgentia.

Et aduertant Patres nostri Cælestini circa huiusmodi concessionem, & Indulgentiam, quod potest intelligi durare pro tribus vesperis, scilicet vigiliæ, diei festi, & alterius diei sequentis festum. Et hoc valde probabiliter, tum quia ita videntur sonare verba Bullæ, & concessionis, quod est principale

le. Quæ sunt ista, scilicet omnes verè pœnitentes, & confessos, qui a vesperis eiusdem festiuitatis vigiliæ, vsque ad vesperas festiuitatem ipsam immediatè sequentes, ad præmissam Ecclesiam accesserint, de Dei omnipotentis misericordia & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, a Baptismo absoluimus a culpa, & pœna, quam pro suis merentur commissis omnibus & delictis.

Tũ quia sic exposuerunt cordati PP. nostri vna cum doctissimis Patrum Iesuitarum, tum quia etiam sic declarauit Illustriss. & doctiss. Episcopus Ciuitatis Aquilanæ D. Aluarez de Mendozza. Et quia sub hac forma etiam solebant concedi, vt apparet ex Indulgentijs concessis in Ecclesia Lateranensi, vt præcipuè notatum fuit a R.P. nostro Generali D. Lelio Marino in vita huius Santiss. Pontificus ab ipso descripta, lib. 3 cap. 10.

Pietas fidei nostræ circa hoc, ex dictis rationibus & congruentijs non videtur improbabilis, meam tamen sententiam submitto decisionibus peritiorum, & determinationi pro omni tempore Sanctæ M. Ecclesiæ. De huiusmodi Indulgentia Collismadij per optimè, excellenter scripsit A R. P. Cælestinus Abbas in nostra Congregat. & nunc temporis Proc. Gen. in Vrbe.

Indulgentias vltimatius omnibus Re-

gu.

gularibus concessas a Paulo V. scimus notatas in Officijs Monasticis de B.V. & probabiliter credimus omnibus Religiosis notas esse, ideo breuitatis causa in hoc opere nostro praetermittimus.

Ieiunium.

Licet de ieiunio perfectè, & complete tractent Theologi, & Canonistae, tamen ea, quae sunt Priuilegia, vel sapiunt naturam Priuilegij notare non extra munus officij nostri erit. Notamus ergo primum, quod Abbas ex iusta, & rationabili causa potest subditos a ieiunio soluere, etiam quadragesimali, vt docet D. Thom. citatus inde Iure Abb. tom.2. disp.12. quaes.6. & quaes.1. supradictae disput. habetur quod Abbas cum suis Monachis ad ieiunia regularia de consilio tantum tenetur. In regula enim S. Benedicti, praeter essentialia Religionis, quae sunt tria vota, & ea, quae sunt tamquam finis Regulae, vel essentialiter ad illam facientia, & ad salutem necessaria, vt diligere Deum, & proximum, & mandata Dei, & Ecclesiastica seruare, reliqua sunt tantum consilia, non praecepta, vt ait Turrecremata in expositione regulae Siluester verbo Religio, & alij

Abbas potest dispensare in ieiunijs.

Ieiunia regularia sunt de consilio

Item ieiunium de Aduentu.

Et quaes.2. eiusdē supradictae dipsutionis sub-

subiungitur quòd ieiunium Aduentus est de consilio, non autem de præcepto, secundum verjorem opinionem. Vt testatur Silu. ster verbo Ieiunium. Et ita communiter teneri ait Tabiena. Et quæs. 11. concluditur, quòd Abbates cum suis Monachis, carnes comedere possunt in illis Monasterijs, in quibus adest consuetudo comedendi carnes, scientibus, & permittentibus Superioribus. Præterea adest etiam Priuilegium Sixti V. pro Monachis Cisterciensibus, concessum sub Datum Romæ 1475. idibus Decembris. Et Paulus V. idem, & similiter declarauit pro Cassinensibus const. 33.

Rodericus t. 3. q. 45. ar. 3. docet, quòd Prælatus potens dispensare cum subdito, vt comedat carnes, potest etiam dispensare, quòd comedat in die Nat. D. si feria 6. venerit, vel Sabbato. Textus in cap. Ab esu carnium, & in cap. Ieiunia de consecrat. dist. 3. loquitur de his, qui ex voto tenetur, vel, vt dicit Glosa, talis obseruantia fuit in primitiua Ecclesia, hodie verò non amplius obseruatur.

Quid dicendum de Natali, si veniat fer. 6.

Ingredi Monasteria Monialium.

P*Rimò hic sciendum, quòd ista nomina Monacha, seu Monialis a principio imposita sunt solùm feminis Religiosis Ordinum*

Nomen Monialis commune est omnibus foeminis Religiosis.

dinum Monachalium; quia tunc non erant aliæ Religiones, præter Monachales; tamen, postquàm alij Ordinis Mendicantium præsertim instituti sunt, quàmuis feminæ Religiosæ sub eorum gubernatione existentes, acceperint pro peculiari, seu proprio nomine vocari sorores, non tamen propter hoc renunciauerunt nomine antiquo, scilicet Monacharum: imò fuerunt, & sunt hoc nomine vtraque nuncupatæ, vt plurium in iure, absque vlla differentia; & in Bullis Summorum Pontificum, & in libris Iurisperitorum.

Ista materia est valdè delicata, & periculosa, & potest de facili colligi ex hoc, quia Religiosis probibitum est accedere ad Monialium cęnobia, vel ipsas personas intra clausuram existentes alloqui, siue sui, siue alterius cuiusuis Ordinis, absque licentia expressa S. Congr. sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ & passiuæ, ipso facto incurrendæ. Ita habetur ex decreto S. Cong. anno 1590. Superiore tamen, cui Monasterij seu domus cura incumbit, confessarioq. ordinario, seu extraordinario, dumtaxat excepto. Et hoc decretum obligare sub mortali, docet Bonacina in de Clausura. Et sic declaratum fuit a S.Congreg. anno 1606.

Multa hìc essent addenda, quæ de facili, & accessoriè possunt moueri, sed quia pro-

priè non pertinent ad Priuilegia; ideò ea prætermittimus.

Quibus casibus earum Prælati ingredi possint, habetur in constit. Pij V. dico 28. Gregorij XIII. & quibus casibus Moniales extra clausuram stare possint, habetur in const. 8. iam dicti Pij V. 1569. in qua tres causæ assignantur, quibus Moniales egredi possunt a Mon. scilicet magni incēdij, vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ, imò quando huiusmodi magno incēdio occurri potest sine egressu Monialis a suo Mon. aut curari lepra, aut epidemia sine periculo aliarum; tunc non erunt sufficientes causæ egressionis. Vide Con. Trid. sess. 25. cap. 5. Couertite tamen si egeant, possunt pro questu egredi è Monasterio quatenus sint in etate saltem quadraginta annorum, nō pulchre, &c. vt decisum fuit a S. Congregat. die 11. Ianuarij 1620. vt notatum est in de Iure Abbatissarum disput. 7. quest. 4.

Quando liceat Monialibus egredi a clausura.

Oblatæ Turris Speculorum Romæ non arcentur ad clausuram, cùm non sint verè Moniales, & nullo voto solemni adstringantur. ita habetur in de iure Abbatiss. disp. 18. quest. 5. Nec nouitiæ ad præceptum clausuræ tenentur, quia non sunt verè Moniales, Benè tamen tenentur tacitè professæ.

Quantum verò, & quale debeat esse periculum, seu dispendium, ratione cuius liceat

ceat ingredi clausuram, determinari debet arbitrio Abbatissæ, & discretarum Conuentus. Et qui desiderat aliquos casus in specie videre, eos notatos reperiet in Comp. Priuil. Mend. & non Mend. sub prædicto titulo. Notabo tamen vnum, vel duos in satisfactionem legentium.

Quædam vidua intrat Religionem Monialium, & post ingressum inuenitur, quòd remansit prægnans de viro suo, venit tempus partus, talis parere poterit intra clausuram Monasterij, sicut posset curari ab alia infirmitate, & per consequens, posset ingredi obstritix, prout ingreditur Medicus.

Item, si fortè tàm grandis contentio, & discordia foret inter aliquas ex Monialibus, quòd aliæ Moniales non possent eas pacificare, timeretur que mors, aut aliquod magnum damnum, possent tunc ingredi illi, qui necessarij sunt ad apponendum remedium, &c. sine licentia tamen hæc non debent ad praxim reduci in Ciuitatibus, & locis, in quibus etiã congruo tempore potest haberi recursus pro licentia, ad Superiores.

Item apud Bonacinam, in verbo Monasterium, habetur, quòd licitum est feminæ ingressus in Monasterium virorum ob necessitatem ex. gr. ad lactandum infirmum, seu medendũ, dũ aliud remedium cõmodũ nõ est.

Inci-

Incidenter etiam hìc addam, quòd Sacristiæ, ad quas non est aditus per claustra, sed per Ecclesiam, non sunt subiectæ clausuræ. Vt supradictus Bonac. tenet in de clausura quæst. 5. puncto 1. Nec subduntur clausuræ Monasteria non dum fabricata, sed fabbricari incępta, vbi non est communitas Religiosorū, sed tantùm aliquis, vel aliqui pro fabrica, vt notat Sorbus in Comp. Priu. Mend. non Mend. verbo Ingressus Monialium. Secùs dicitur de prioratibus, quos habent aliquæ Religiones, quia sunt Monasteria, & habēt clausuram, vt notat Sanchez citatus a Lezana tom. 1. cap. 10.

Et, redeundo ad propositum de Monialibus, est sciendum, quòd ad intrandum Monialium Monasteria, de Episcopi, vel Superioris licentia, non requiritur necessitas absoluta, scilicet Logica, aut Metaphisica, vt illud, sine quo aliquid simpliciter fieri non potest; sed sufficit moralis, rationabilis, & manifesta. Ita Miranda tom. 1. quæst. 2. art. 4.

Et notandum, quod Moniales expelli nō possunt a Religione etiam propter incorrigibilitatem: non solum quia iura, & decreta Summorum Pontificum de viris solum intelligi praxis Ecclesiæ hucusque recepit, non de feminis, sed etiam quia S.C. Episcop. &

Reg.

Reg. Anno 1603. declarauit, quod eijci non possint, neque transferri inconsulta sede. Vt est notatum apud Lezanam tom. 1. cap. 25. a quo citantur, & alij DD. hoc asserentes.

Religiosi exempti non afficiuntur censuris ab Episcopo impositis contra accedentes ad Monasteria absque licentia, cum non sint sui subditi. Ita ex Quaranta verbo Monasteria Monialium. Videatur tamen post Bullam 18. Gregorij XV. in tom. 4. Bullarij, & Bonac. in de clausura quaest. 3. puncto 4.

Ex sentētia Sanchez, Lezana addit vbi supra c. 25. de obligationibus Relig. quod nouitiae si ex causa rationabili, & ex licentia Superiorum, ac cum habitu exeant; non censentur interrumpere suum nouitiatum. Ratio est, quia talis egressus cum illis circumstantijs arguit vnionem, & permanentiam in Religione, effectumque perseuerandi. Secus autem si sine causa, licentia, aut habitu exeant.

Imperatores, & Imperatrices, Reges, & Reginae non cōprehenduntur in decretis Apostolicis, prohibentibus ingressum Monasteriorum Monialium. Imò filij, & filiae eorū. Quia Gregorius XIII. in Bulla, quae incipit, Vbi gratiae. Postquam dixit personas cuiuscunque conditionis, addit licet illae personae Comitissae, Marchionissae, & Ducissae sint.

Quo

Quo loquendi modo satis indicat non prohiberi Imperatores, &c. cum sint personæ altioris, & eminentioris dignitatis, & gradus. Ita Sanchez, Rodericus, & Bonacina, qui citantur in de Iure Abbat. disput. 24. quæs. 13.

Interdictum.

C*Irca Priuilegia concessa quoad interdictum Fratribus Minoribus, Prædicatoribus, Carmelitis, Augustiniensibus, & alijs Patribus, notare sufficiat cum Medina, quod possunt Mendicātes eis vti in festis suorum Ordinum etiam post Concilium. Quia Concilium intendit illa Priuilegia reuocare, quæ a quibusdam Religionibus prætendebantur haberi de nullatenus interdictū seruando: Etiam quod ab Ecclesia matrice seruaretur. Ita etiam tenet Rodriquez in expositione Bullæ Cruciatæ.*

Cetera de interdicto, completè & perfectè reperiuntur in Summis, ideo ad illas Lectores remittimus, nostrum est enim solum tractare de Priuilegijs.

Missa:

G*Regorius XIII. Bull. 22 concessit Religiosis Societatis, posse Missas celebra-* Qua hora celebrari possit.

re ante auroram, circa lucem, & infra horam post meridiem, itineris, aut alterius legittimi impedimenti existente causa. Vt notat Ioannes de la Cruz cap. 5. de Priuilegijs.

Vasquez tom. 3. in 3. par. disput. 232. cap. 3. addit, quod sine Priuilegio, Missa in aliquo solemni festo, cum concio non finiatur nisi post meridiem, vel si ratione itineris occurrat tardius venire, poterit etiam celebrari aliquo tempore post meridiem.

De Missa quo ad locum. Clemens IV. Bull. 4. concessit FF. Minoribus, vt in eorum locis possint habere Oratoria, in quibus cum altari portatili possint missarum solemnia celebrare, & alia diuina officia, & etiam Ecclesiastica recipere Sacramenta.

Et sciendum, quod propter necessitatem, iure communi permissum est celebrare absq; Episcopi licentia sub dio; & extra Ecclesiã, ac Oratoriũ designatum: vt si Rex, aut Dux sit in exercitu, vel classis Christianorum appellat ad terram, vel in itinere Ecclesia desit; vel cum magna multitudo hominum in aliquo festo ad paruam aliquam Ecclesiam concurrit, &c. modo semper adsit altare viaticum, seu portatile, ab Episcopo consecratum. Vt probatur ex iure a Suarez, Vasquez citati a Lezana tom. 1. cap. 21.

De Missa quoadmodũ. Item sciendum, quod aliud est ministra- re

re Sacerdoti ad altare, scilicet porrigendo calicem, aut dando incensum, & huiusmodi; & hoc prohibetur mulieri: & aliud est ministrare Sacerdoti dicenti missam, vel salutanti populum, respondendo, & hoc possunt in necessitate feminæ. Vnde in multis locis respondent Moniales. Et licet Sacerdos debeat celebrare cum socio, seu clerico, vel alio Ministro; tamen fallit in recluso, qui solus sine assistente, missam celebrare potest. Vbi clerici copia non suffragatur. ita ex Patre Iacobo de Graffijs Benedictino in suis aureis decisionibus, in verbo Missa.

Feminę quo modo possint deseruire celebranti.

Et si Sacerdos solus possit celebrare

Missa de sancto ita prodest defunctis, ac si de mortuis diceretur quoad sacrificium; quo ad orationes, magis prodest, quæ pro defunctis. Tamen huic defectui satisfacit maior deuotio eius, qui de Sancto celebrat secundum S. Thomam 4. sentent. distinct. 45. q. ar. 3. & ad tollendum aliquos scrupulos scire debemus ex Rod. tom. 1. qq. Reg. q. 43. ar. 10. quod obligatio qua quis obligatur singulis diebus celebrare, iuxta terminos iuris debet interpretari, quod debet celebrare quanto frequentius poterit, salua debita reuerentia, ac deuotione ad Sacramentum.

De valore missarum.

Obligatio quotidie celebrandi quo modo intelligatur.

Societatis Iesu Religiosi quando, & vbi, bis in die Missam celebrare possint, habetur in const. 84. Pauli III.

Quibus temporibus sit vacandum à celebratione.

Feria quinta maioris hebdomadæ saltem iure communi, licitum est omnibus Sacerdotibus celebrare, secluso scandalo, & in secreto, cùm id nullo iure prohibeatur. In die autem parasceuæ, peccatum mortale est siue in publico, siue in secreto celebrare, etiam si in illo die occurrat festū Annunciationis. Die Sabbathi Sancti, aliqui putant posse celebrari priuatim, & occulte, saltem ab ea hora, in qua incipit solemne Paschale. Lez. t.1.c.21. & citat Sotum, Suarez, & alios.

De missis votiuis.

Quando missa votiua exigitur, verbi gratia, de Assumpt. B. Mariæ, de Natiuitate, & huiusmodi, potest dici missa votiua de B.V. cum intentione ad honorem Assumptionis, Natiuitatis B.M. &c. Similiter si dicatur aliqua missa votiua de aliquo sancto, mutatur in collecta verbum Natalitia, seu festa in verbum commemorationem. Et cum missa Rosarij solum dici possit a Patribus Dominicanis, & missa de B.Vergine de monte Carmelo, solum etiam a Carmelitis, si quis alias habeat onus celebrandi tales missas, satisfacit dicendo Missam de B.V. votiuam, vt in Missali. Gauantus in Thesauro tom.1. p.4. tit.17. & in rubica tomi primi parte 4 &c.

Circa onera vero missarum, modo est obseruandum Decretum Congregat. editum ex au-

auctoritate Sanctiss. Opt. Maximi Vrbani VIII. Anno 1625. *quod decretum loquitur de obligationibus præteritis, & etiam futuris. Et pro his omnibus reducēdis, & moderandis, vel commutandis, vult vt ad Apostolicam Sedem recurratur. Quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur.*

Notarius.

P*Ossunt Religiosi exercere munus Notariorum in quibuscunque causis fidei, & inquisitionis ex decreto Pij IV. Bulla, quæ incipit, Pastoralis officij. Anno* 1561. *& pro vtilitate publica, seu priuata Ordinum. Ex Bulla* 124. *Pij V. & tali Priuilegio gaudent alij Mendicantes ob communicationem Priuilegiorum, dicit Rodericus t.*3 *qq. Reg. q.*8. *art.*1. *nisi forte per non vsum legitimum hoc Priuilegium perdiderint.*

Nouitius.

S*Vpposito quod Nouitij habeāt requisita iuxta constitutionem Sixti V. An.*1587. *secundum Petrum de Palude, & alios communiter, si quis retraxerit volentem Religionem ingredi, quia probabiliter credebat illum non*

esse aptum, atque vtilem Religioni non incurrit excommunicationẽ Iulij II. Bul. 12. pro Patribus montis Oliueti. Cũ potius damnum abstulisse quam iutulisse videatur. Item si reuocauit propter vtilitatẽ propriã, vt puta quia indigebat consilio suo quo ad spiritualia in seculo: cum iuxta gradum ordinatæ charitatis teneatur bonum spirituale suum, quã alterius præligere.

Rodericus in suis qq. Regul. tom. 1. q. 15. alias 20. art. 11. & Pater Iacobus Benedictinus in suis aureis decisionibus docent, quod Nouitij a reseruatis in Religione, a confessore seculari possunt absolui sine licentia Superioris. Nam ipsi antequam professionem emittant, non sunt verè, & realiter Religiosi, neq; sunt obligati ad Religionis asperitates supportandas sub pœna peccati mortalis, sed sub pœna expulsionis a Religione, vt deducitur ex iure, & tenent DD. communiter. Vnde Pater de Grassijs, qui supra, in de casuum reseruatione tenet, quod Nouitius dicatur Religiosus, & Ecclesiastica persona in fauorabilibus, sed quia non est immutabiliter Religiosus, hinc non tenetur ad præcepta regulæ, & non potest a Prælato Monasterij excommunicari, & non tenetur, vt professus persoluere Diuinum officium. Vnde intelligitur, quod neque comprehendatur sub casibus reseruatis.

Tam-

Tamburinus tamen t.2.disput.4. quęs.6. habet, quod Nouitijs integrum non sit confiteri alijs, quam confessarijs ab eisdem Prælatis destinatis, quia ita mutant Domicilium, illud in Religione transferendo, vt omnino fiant extra iurisdictionem secularium pastorum. Vtraque opinio mihi videtur probabilis, sed ista securior quoad particulare de casibus reseruatis. Alia de hac materia vide in verbo Professio.

Paulus V. Anno 1612. concessit Fratribus Seruitis montis Senarij, quod tres ex antiquioribus a Capitulo conuentuali eiusdē domus deputari possint, qui eandem habeant facultatem in admittendis Nouitijs, quā habēt Capitula generalia, & prouincialia. Bul. habetur in 3.t. Bull.11. inter Bul. Pauli V. nu.76.

Vrbanus VIII. Anno 1631. mandauit Religiosos, qui alias Canonice receptos, annum probationis in Monasterijs designatis minime fecerunt, ad professionem emittendam denuo recipi absque nouo probationis Anno.

Nouitij in articulo mortis existentes, possunt profiteri ante annum probationis expletum, dummodo tamen in ætate legittima constituti sint. Sicque lucrari Indulgentias, & gratias alijs professis concessas. Quia ita concessis Pius V. Monialibus Sancti Dominici Anno 1570. Vnde isto Priuilegio potiri

possunt omnes Religiosi habente communicationem cum Dominicanis.

Absolutio tamen quæ impenditur Nouitijs ratione Priuilegiorũ, intelligitur ipso iure, si in Religione perseuerauerint. Vt docent Angelus in verbo Excommunicatio, & Silaester verbo Absolutio.

Officium Diuinum.

LEo X. Eugenius IV. Martinus V. & alij Summi Pontifices multa concesserunt Priuilegia pro Diuino officio, quæ modo nihil iuuant, quia fuerunt viuæ vocis oracula. Nihilominus pro infirmis, vel circa infirmorum curationem occupatis, adest Priuilegium Pauli III. pro Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli decollati tom. 1. Bullarij pag. 618. vt certum psalmorum numerum non minus septem, aut sex, & Dominicam orationem septies, ac Simbolũ Apostolorũ bis in die recitando, septem horis Canonicis, & toto diuino officio satisfecisse censeantur. Vide tamen circumstantias dicti Priuilegij in ipsa Bulla.

Simile huic adest Clemẽtis Septimi concessum Societati Clericorum Sancti Siluestri, & S. Andreæ de Vrbe alias Theatinorum. Vt est videre tom. 1. Bullarij pag. 606. quo prædicationi verbi Dei, audientiæ confessio-

fessionum, ac Sacræ Theologiæ, ac Sacrorum Canonum studijs consistentes; ad suam, & animarum fidelium vtilitatem, & qui occupantur infimrmitate propria, aut infirmorũ Fratrum curatione; satisfaciant pro horis Canonicis, recitantes certum numerum psalmorum, per Superiorem eis assignandorum, non minus septem, aut sex, ac orationem Dominicam septies, & Simbolum Apostolorum bis. Ita etiam concessit, & Iulius II. Bul. 12. Congregationi Montis Olìueti.

Fratrum Seruorum B.V. Superiores dispensant cũ Lectorib. Prædicatorib. & Officialibus circa Diuini officij recitationem in choro, ex Pij V. constitutio 103. eis concessa.

Ordines maiores, & minores.

QVod Abbates possint conferre ordines minores, non vertitur in dubium. Nam vt habetur in Collectanea Bullarij Barb. sub verbo Ordo, Sacra Congr. Concilij die 16. Februarij, 1610. conclusit, quod ordines suis subditis potest de iure Abbas conferre, licet non sit benedictus, sed tantum sit triennalis, qui ad tempus creatur, vt habet Tamb. tom. 2. disputat. 2. in de iure Abbat. quæst. 3. & idem fuit resolutum Anno 1619. sed an possint conferre alijs a proprijs subditis,

tis,

tis, hoc est, quod patitur difficultatem. Nam Barbosa tenet partem negatiuam, dicens ita fuisse resolutum de ordine Clemẽtis III. per sacram Rotam. Vt videre est apud Seraphin. decis. 985. & nouissime per Sacram Congreg. Episcop. & Reg. sub die 27. Iunij 1631. quæ censuit promotum ab Abbate de Corropoli indigere noua promotione.

Hoc tamen non obstante videtur securè posse teneri cum distinctione partem affirmatiuam, ex concess Gregorij IX. Bull. 23. & Iulij II. Bull. 25. Et in Collectanea prædicti Bar. sub verbo Abbas dicitur, quod Abbas postquã benedictionis munus, & Sacerdotalẽ ordinem susceperit, potest tonsurã, & minores ordines secularibus Episcopi iurisdictioni subiectis cõferre. Si modo ipsius Episcopi cõsensus accedat & litteras dimissorias ab eodẽ Episcopo impetrauerint. Itẽ & eosdẽ ordines cõferre potest alijs Regularibus, qui dimissorias speciales suorũ Superiorũ, & specialem consensum Episcopi loci habuerint. Ita vt satis non sit id generatim ab Episcopo concessum esse, sed hac concessione semper opus sit singulis. Ita Sacra Congregat. Concil. die 7. Septembris 1593. testibus Ioanne Confectio in collectione Priuilegiorum f. 136. Quaranta in sua Summa Bullarij verbo Ordo, & Patre Ascanio Tãb. in de iure Abb. t. 2. dis 2. ques. 7.

& sn-

& ſupradicto modo declarauit S. Cardinalium Congregatio ſupra caput decimum ſeſſionis 23. Concilij Tridentini.

At hic eſt aduertendum, quod Congregatio, quæ citatur a Confectio, a Quaranta, & a Patre Tamburino non loquitur de Abbatibus ſimpliciter, ſed de Abbatibus benedictis: & Abbates benedicti vt in pluribus ſunt, vel fuerũt capita Ordinum, & ſunt Abbates perpetui, & in proprijs Monaſterijs habent auctoritatẽ qu ſi Epiſcopalẽ. Abbates conuentuales, vel ... ẽnales, & nõ benedicti poſsũt cõferre Ordines ſuis ſubditis de propria Religione, & de proprijs Monaſterijs, benedicti vero, & Abbates Generales illud amplius habẽt, vt poſſint conferre ordines etiam alijs Clericis ſecularibus, & Regularibus de alijs Religionibus d. licentia tamen vt dictum eſt ſupra.

Abbates inter ſe quomodo communicent in Priuilegijs.

Et licet Abbates nõ benedicti gaudeant eiſdem priuilegijs, quibus & benedicti, hoc tamen intelligitur de his, quæ ſpeciali nota non indigent, vt ſæpius dictum eſt ſupra, in diuerſis locis, & capitibus. Et communicatio currit de Generalibus ad Generales; De benedictis ad benedictos: de perpetuis ad perpetuos: & non alias.

Ordinatió ſine licentia Epiſcopi an valeat.

Et ſciendum ex Tamb: in de iure Abbatum tom.2. diſput.2. queſ.8. quod ſi Abbates ordinauerint ſeculares ſibi, vel Epiſcopis

ſubie-

subiectos, vel Regulares non sibi subditos, sine licentia Episcopi loci, talis ordinatio valet. Et ratio est, quia per huiusmodi ordinationē character imprimitur, & hoc non fuit reuocatum a Concilio Tridentino. Quod & si prohibet Abbatibus ordinare illos, qui sibi subditi non sunt, non tamen decernit ipsos Abbates ordinando suos non subditos, illis characterem non conferre. Vltra quod actus factus contra formam traditam a lege, sine clausula annullatiua, valet: & tenet: licet contrafaciens veniat puniendus dec. 570 prima parte in nouissimis.

Innocentius VIII. Bulla 5. anno Dom. 1489. concessit Abbati Cisterciensi Babilonē. Diæcesis, & alijs quatuor Abbatibus aliorum Conuentuum, & istorum successoribus, posse suis subditis conferre Subdiaconatum, & Diaconatum, & alios ordines minores, vt notauit etiam Ioannes de la Cruz cap. 8. de Priuilegijs. Hodie tamen Abbates non possunt sacros ordines conferre ex determinatione Conc. Trid. Nec obstat, quod eo Priuilegio modo dicti Abbates vtantur. Quia eorum Abbatiæ, vt dicit Tamb. tom 2. disp. 2. quest. 5. in Gallia constitutæ sunt, vbi hactenus Concilium Tridentinum non fuit receptum.

Priuilegium PP. Iesuitarū

Patres Societatis Iesu ordines a quocunque Antistite suscipere possunt, etiam extra

com-

tempora, & tribus diebus Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continuis, non seruatis interstitijs ex concess. Gregorij XIII. Bull. 77. Ann. Dom. 1582. Præsentis tamen gratia cõmunicationem cum alijs fieri omnino prohibet. At Vrbanus VIII. idem concessit Fratribus S. Francisci de Obseruantia, in partibus Indiarum occidentalium, de suorum Superiorum licentia, cum consensu Diœcesani Anno 1625.

De Fratribus Ioannis Dei, vnum in quolibet eorum loco, ad sacros ordines promoueri posse indulsit Paulus V. const. 55. Isti emittũt tria substantialia vota, & quartum seruiendi infirmis suorum hospitalium, & sub regula S. Augustini degunt. Et incidenter scias, quod ordinatus ad minores ordines, potest redire ad seculum. Secus in maioribus decis. 731. prima parte in nouissimis. Priuilegium Fratrũ Ioannis Dei.

Hæc sufficere posse credimus pro præsenti materia, addemus tamen, vt deseruiens etiã ad ipsam materiam, quod annus interponendus ab vno ad alterũ ordinem est Ecclesiasticus, non solaris, vt declarauit S. Congregatio. Vnde qui ad Subdiaconatus ordinem quatuor temporibus Quadrag. promoti fuerint, possunt anno sequenti eisdem quatuor temporibus Quadrag. ad diaconatum promoueri, licet annus

nus naturalis integer tunc lapsus non fuerit Ita habetur in additionibus ad Quarantam Prosperi Augustini in verbo Ordo.

Prædicatores verbi Dei.

Clemens IV. Bull.4. concessit Minoribus Conuentualibus, vt singuli Prouinciales in Prouincijs, cum diffinitoribus in suis Capitulis Prouincialibus, habeant plenariam auctoritatem, & facultatem examinandi, & approbandi Fratres in sacra pagina eruditos, & quod eis officium prædicationis committere valeant, &c. Vide tamen Concilium Tridentinum.

A Tamb. in de Iure Abb. to.2. disp.11. quæs. 2. habetur, quod & si per decretũ Concilij Trid. sess.24. de reformat. cap.4. statuitur, vt nullus secularis, aut regularis, etiam in Ecclesijs Ordinum, contradicente Episcopo prædicare: præsumat Hoc tamen decretum intelligendũ est illo tempore, vel hora, qua Episcopi prædicare voluerint, vel coram se ipsis prædicari facere. Et ita intelligi debere affirmant Rodericus, Miranda, & alij ab ipso Tamburino citati.

Et secundum quamplures, si Episcopus benedictionem neget, nihilominus possunt Re-

Regulares in ſuis Eccleſijs prædicare, eò quòd Concilium ſolùm dicit, quòd teneantur petere benedictionem, nec dicit [& illam obtinere.]

Præſertim, quia benedictio iure petita, ſi iniuſtè negetur, videtur iure conceſſa. Henriquez l.6. de pœnitentia c.13 dicens, hoc cōceſiſſe S. Congregationem Anno 1597. & ſubiungitur ab eodem Hēriquez l.7. de Indulg. c.16. poſſe regularem doctum, & idoneum, prædicare duabus, aut tribus vicibus ſolùm de licentia Parochi in ſua Parochia. Lezana tom.1. c.18. hoc limitat, ſi præſumeretur licentia tacita, vel interpretatiua Epiſcopi, & in oppidis, vbi non eſſent Epiſcopi, ſed tantum Parochi, &c Et Prædicatores præſentati ſemel, non tenentur amplius in illa diœceſi præſentari. Vt patet ex conſtit. Pij V. Bull 41. & ſi Mendicantium 1564.

Præſcriptio.

LEo X. Bull.2. Anno Dom.1513. *conceſſit Camaldulenſibus, & Vallis Vmbroſæ Congregationi, quod contra illorum Monaſteria, ſeu bona, & perſonas, tam in præteritum, quàm in futurum, nulla currat præſcriptio, niſi poſt lapſum ſexaginta annorū; & eo elapſo, tuncquadraginta annorum præ-*

ſcri

scriptionem incipiendam esse, quibus omnibus iunctis, & continuatis; centum annorum numerus constituitur, ita vt non nisi illis elapsis a nemine in iudicio molestari possint.

De titulo. *Et sciendum ad propositum huius materiæ, quod titulus iustus est omnis actus, per quem solet acquiri dominium: vt quando a vero domino res traditur, aut a possidente emitur, seu per iudicis sententiam recipitur, siue pro derelicta occupatur, &c. Et rem legitime præscriptam possidens, ad restitutionem minime tenetur etiam si postea superueniat mala fides, hoc est scientia rei alienæ, Cum alienum non sit, quod iure possidetur iuxta D. Augustini sententiam.*

Priuilegia Fratrum.

IN de electione, & potestate Prælatorum P. Sigismundi in additione ad dubium 37. habetur de mente Rodriquez, & Suarez de legibus, quod decreta Concilij Tridentini se habent in duplici differentia. In aliquibus enim decretis ipsius Concilij derogatur expresse Priuilegijs, & consuetudinibus etiã Regularium: in alijs vero licet disponatur contra eorundem Regularium Priuilegia non tamen ipsis derogatur. Vnde optime infert supradictus Rodriquez de mẽte doctissimo

ſimorum virorum Priuilegia Regularium aduerſantia Concilij Tridentini decretis primo modo; non ſubſiſtere. Alia vero ſic.

Fratres ſcrupuloſi, ex conceſſione Leonis X. poſſunt in omnibus ſuam conſcientiam tangentibus, ſtare determinationi ſui guardiani, vel cuiuſcunque alterius Prælati. Ita Caſarubius in verbo Declaratio, & Miranda tom.2. q.44. art.2. Quæ conceſſiones quamuis viuæ vocis oracula ſint, valent tamen ſi non vt gratiam aliquam concernentes; vt explicatiuæ iuris, quod habent Prælati, vt veri Paſtores, & Doctores ſuorum ſubditorum. Quod intelligo verum, ſi Prælati, docti ſint, & ſapientes, vel ſaltem determinent cum conſilio Doctorum, et Sapientum: alias ſi cecus cecum ducat, ambo in foueam cadunt.

Patientia, quæ prohibetur deferri à mulieribus Tertiarijs, intelligi videtur deberi, vt non illam deferant eo modo, quo Fratres, et Moniales, ſed breuiores, et ſtrictiores. Et conſonat declarationi S.Congregationis apud Barboſam in *Collect. Bullarij verbo Confratres. Vbi aſſeritur poſſe Confratribus ſecularibus concedi habitum patientiæ, quæ ſolis Religioſis proprie conuenit, ſi enim Confratribus id conceditur, multa potiori ratione Tertiarijs concedi debet, qui magis accedunt ad ſtatum Religioſum.*

Pœna contra molestantes Religiosos in Priuilegijs.

Apud Confectium in suo Compendio Priuilegiorum pag. 253. adsunt litteræ Auditoris Cameræ Apostolicæ, in executionem litterarum Apostolicarum, & Priuilegiorum à Pio V. Bulla 11. Anno D. 1566. Ordinibus Mendicantium concessorum, sub Gregorio XIII. emanatæ, quorum principium est huius tenoris. Quia Ordinum Mendicantium Procuratores reclamarunt contra eos molestantes in concessis à Summis Pontificibus, hinc contra dictos molestantes imponitur pœna decem millium ducatorum auri, & in iuris subsidium etiam pœna excommunicationis, aliarumque censurarum Ecclesiasticarum, &c.

Et scias, quod probabile est monialem professam in articulo mortis virtute Priuilegij Pij V. ante annum probationis expletum, si casu non decedat è vita, vere professam manere, nec noua indigere professione. Quia circa tempus nouitiatus Papa dispensat. Vide tamen Gauantum in Manuali Episcop. verbo Monialium professio.

De stabilitate, quæ promittitur in professione.

Et incidenter nota, quod stabilitas, quæ in professione emittitur, non semper intelligitur in ordine ad aliquod certum, & indiuiduum Monasterium, quæ diceretur stabilitas in loco, sed de stabilitate in specie, quatenus importat permanentium in eadem Religione,

gione, in qua profitetur ex decis 19. Veneris 10. Ianuarij 1631. & ex alia decis. 20. decima Februarij 1632. in quibus habetur quod promissio stabilitatis, quæ fit in professione, intelligitur de stabilitate in Congregatione communitatis.

Religiosi, & Religiosæ.

SVb isto titulo ponuntur etiam quædam, quæ non ita proprie, sed tantum reductiue ei conueniunt, ad tollendam multiplicitatem eorum, quæ cum pauca sint, videntur melius sub hoc vno, & eodem titulo posse reduci. Et incipiendo a Monialibus scire debemus, quod Siluester verbo excom. asserit Martinū successorem Vrbani abstulisse quoad Moniales sententiam excommunicationis latam per dictum Vrbanum V. & Gregorium XI. contra recipientes pro ingressu Religionis, &c. Facit ad hoc Caietanus in summula verbo excommunicatio de constitutionibus nō receptis, & specialiter saluat Moniales *habentes talem vsum recipiendi, &c. & facit Gerson in 3 parte summæ de vita spirituali. Quia tales sententiæ videntur inualidæ per non vsum, & per consuetudinem oppositam.*

An Religiosi possint sibi eligere confesso-

rem. præter destinatos à proprijs Prælatis, virtute Bullæ Cruciatæ, aut aliorum indultoruw, & Priuilegiorum videatur Bull. Clementis VIII. quæ incipit, Romani Pontificis, anno 1599. quam confimauit Vrbanus VIII. anno 1630. vt habetur 4 tom. Bullarij.

Potest Religiosus ex legittima causa, vt ob necessitatem parentum, viuere extra Monasterium, retento babitu, & possunt Prælati Religionum iure communi hanc licentiam con. edere. Tamẽ iure nouo Clementis VIII. in decretis pro reformatione Regularium approbatis, & innouatis à S. Congregatione SS.D.N.Vrbani VIII. requiritur licentia Sedis Apostoliea talem causam approbantis.

Religiosi graduati, vt aliquo gradus sui Priuilegio vti possint, debent actu legere, vel prædicare, propter decretũ Clemẽtis VIII. & SS.D.N.Vrbani VIII. anno 1624. Illud tamen actu legere, vel prædicare, potest trahi ad similes casus, quales sunt libros edere, casus conscientiæ resoluere, & similes Dictio enim taxatiua in Decretis non excludit casus similes, vel vrgentiores. Lezana tom. 1. cap. 10. num. 20.

Vt Tertiarij Priuilegijs, quibus Fratres Ordinis, cuius sunt Tertiarij fruantur requiritur quod Collegialiter viuant, aut cũ

Clau-

Clauſtralibus habitent, ex Bulla Leonis in Concil. Later. & decretis SS. Congregat. At vt feminæ Tertiariæ, Beatæ, Vrſulinæ, vel ſimilibus nominibus cognominatæ, prædictis Priuilegijs fruantur, ſufficit, quod virginalem, celibem, aut caſtam vitam ducant, voto ſimplici facto de prædictis, etiam ſi in conſanguineorum aut affinium, aut proprijs domibus, vel ſeorſim habitent Lez. t.2.c.14.

In de Iure Abbatiſſarum Tambur. diſput.7. queſ.3. habetur, quod Subdiaconiſſæ, Diaconiſſæ, & Epiſcopiſſæ mulieres erant, quæ à viris, qui ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Præsbyteratum, & Epiſcopatum promoti erant, ex mutuo conſenſu reliquebantur & caſtitatem ſeruare, & celibem vitam ducere promittebant. Ita in Conc. Turonenſi ſub Ioanne III.

Poſſunt permitti intrare in Moneſteria Religioſorum puellæ paruulæ, non obſtante probibitione Pontificum Pij V. anno 1570. ex motu proprio, quæ incipit Regularium perſonarum, & conſtit. Gregorij XIII. quæ incipit, Vbi gratiæ. Eo quod finis illorum eſt, ne detur Religioſis occaſio impudicitiæ, quod ceſſat in paruulis, Lez. tom.1. cap. 10. & citat Nauarr. Azorium, & Suarez.

Clemens VIII. anno 1640. in conſt. quecunque à Sede, quæ habetur in 3. t. Bulla-

rij inter constitutiones ipsius Clementis, & Paulus V. in Bulla, quæ salubiter an. 1610. quæ similiter habetur inter Bullas ipsius in 3. to Bullarij multa decreuerunt circa Confraternitates videnda quando casus occurreret ipsas erigendi, seu aggregandi.

De exemptionibus Monasteriorum.

Pius V. Bulla 11. eximit Monasteria, cenobia, & alia Ecllesiastica loca status Ecclesiastici Mendicantium, & non Mendicantium à solutione gabellarum, & quarumcunque contributionum; & ab onere hospitandi milites tam in transeundo, quàm in commorando, imponens Communitatibus, & Vniuersitatibus pœnam duorum millium ducatorum, &c. & Gubernatoribus Prætorijs, Capitaneis, & alijs Officialibus pœnam priuationis officiorum. Et hoc præcipit in virtute Sanctæ obedientiæ, scilicet ne molestent circa hoc Religiosos.

Iulius II. Bull. 30. concessit Canonicis regularibus Sancti Saluatoris, vt sint exempti etiam à pontium refectionibus, & viarum reparationibus.

De Conseruatoribus.

Omnes in dignitate Ecclesiastica cõstituti, præter Religiosos, tenentur sub excom. acceptare esse cõseruatores, nisi alias sint legitime impediti. Ita concesserunt quãplures Summi Pontifices diuersis Religionibus, qui notantur a Ioanne de la Cruz cap. 10. de Priuilegijs.

Ec.

Ecclesia Lateranensis de Vrbe, supremum locum tenet super omnes Ecclesias Vrbis, & Orbis. Ita Gregorius XI. constit.1. & Pius V. const.9.

Patribus S. Augustini officium Reuerendiss. Domini Sacristæ Capellæ Palatij Apostolici, concessit Alexander VI. constit.5.

Gubernatór Vrbis non incurrit irregularitatem ab latam sententiam sanguinis. Ita Leo X. constit. 8.

Sepelitio, vel Sepultura.

CVm Fratres aliqui extra Monasterium moriuntur, & à Curatis Sacramenta receperunt, possunt ab eorum Superioribus ad suas Ecclesias deferri, Parochis inconsultis ex declaratione S. Congregationis 2. Iulij anno 1620. Quod etiam notat Barbosa in de officio, & potestate Parochi. cap. 26. num. 68.

Abbatum cadauera induuntur eisdem vestibus & insignijs Pontificalibus quibus Abbas viuus induebatur cum solemnia celebraturus erat. Et ponitur super corpus Defuncti Abbatis crux aliqua, quam manibus tenet. Et exequiæ pro ipso debent ab alio Abbate celebrari, cum oratione funebri in fine missæ, ante absolutionem facienda. Quæ absolutio fieri

debet a quatuor ex dignioribus Monasterij seu Collegij. Et si Abbas defunctus esset Generalis, præter Abbatem celebrantem, quatuor etiã Abbates cum mitra, & pluuiali adesse poterunt. Vt notatum est in de Iure Abb. à Tamb. tom. 1. disp. 19. quæs. 4.

Hæc sufficere posse pro tractatu huius materiæ de Priuilegijs iudicauimus, remanet solum, vt notemus, quod Mendicantes Ordines sunt sequentes scilicet Sancti Dominici, S. Francisci, S Augustini, & Camerlitarũ, vt declarauit Pius V. in constit. 44. imò, & Ordines Seruorum B. Mariæ, S. Francisci de Paula, & Societatis Iesu inter ordines Mendicantium supradictos idem Pius V. non solum in supradicta constit. sed etiam in 49. comprehendi voluit. Et Gregor. XIII. in constit. 102. Ascendente Domino. Participãtes sunt omnes alij ab ijs tam Canonici regulares, quàm Monachi, & Presbyteri regulares. Vnde quælibet Religio sua poterit consulere Priuilegia, & sic clarius, intelliget si communicet, & cum quibus in Priuilegijs communicet, & sic in vsu Priuilegiorum, non errabit, & securius aget.

LAVS DEO.

IN-

INDEX CAPITVM,

Et rerum magis notabilium huius operis

PRIMI LIRBI.

Cap. 14.

qui-

TERTII LIBRI.

Abbas.

currit

Pri-

APPENDIX

Eorum, quæ fuissent addenda in verbo Religiosi.

SAcramentum confirmationis, scio quosdam Abbates conferre, sed Priuilegium adhuc ad manus nostras nō peruēnit, ideò de eo nihil dicere sū ausus.

Iulius II. Bulla 10. concessit ac indulsit cultricibus, ac fundatricibus Ord. Minimorum, & earum vtriusq. sexus liberis procreati, & procreandis, vt omnibus, & singulis eiusdem Ord. Priuilegijs, exemptionibus, indulgentijs, &c. vti, & potiri liberè, ac licitè valeant.

Quando constitutiones, seu statuta religionū confirmata sunt auctoritate Papę, in fauorem statuentium tales leges; tunc confirmatio Papę habet vim cuiusdam Priuilegij, & ita liberè ab illa possunt recedere priuilegiati. Lezana to. 1. c.8. & citantur Rodriguez, & Miranda.

Seruitores, qui inseruiunt toti communitati, vel conuentui, vel etiam particularibus religiosis, designatis tamen à Prelatis, vel Superioribus; fruuntur religiosorum Priuilegijs. Lezana to. 2. c. 16.

Sepultura.

FINIS

ADDITIONES ad quædam Capitula huius Operis.

QVia breuitate gaudent moderni, ideò in hoc opere nostro de Priuilegijs, quoad fieri potuit, vsi sumus breuitate: addita sunt tamen sequentia cum correctione solita, pro maiori amicorum consolatione, &c. quia deseruient etiam ad abundantiorem intelligentiam de ipsis Priuilegijs.

Sacra Rota Rom. omnibus Doctoribus præfertur, & communem, immo magis communem opinionem facit, vt docet Grat. cum alijs, citatus à Tamb. t. 1. Disp. 9. quæst. 8.

Priuilegium aliquando accipitur pro charta, seu instrumento, in quo gratia, aut concessio Principis continetur, aliquando verò pro concessione ipsa, seu gratia, quæ in instrumento continetur. Tamb. t. 1. disp. 18. quæst. 2.

Quòd non sufficiat clausula generalis Non obstantibus, &c. ad derogandum clausulis derogatorijs derogatoriarum, habet Rota dec. 87. part. 2. Recent.

Clausula [ex nunc prout ex tunc,] habet hunc effectum, vt actus postea factus, cen-

seatur à principio factus. Gloss. Verb. Ex-nunc, in Clement. volentes, de hæret.

Dictio [statim] intelligenda est cum aliquo temperamento, & non ita amare, quia etiam quando quis purè promittit confestim, datur aliquod modicum tempus. Quod aliqui voluerunt esse decem dierum, aliqui arbitrarium. dec. 476. p. par. in nouissimis.

Priuilegium enormiter lædens Ecclesiam, aut alios; non valet, nisi fiat mentio de ista enormi læsione, quia in dubio non præsumitur Principem concedere aliquid cũ alterius graui dispendio. l. quoties, C. de precibus, & Panorm, in cap. cum ad hæc, &c.

Ordo Carthusianorum acquisiuit confirmationem suorum Priuilegiorum à Sixto V. Bulla 20. eiusdem Sixti.

Clerici Regulares ministrantes infirmis, habent communicationem omnium Priuilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium per bullam Gregorij XIV. anno Domini 1591. in qua bulla specificè connumerantur Cisterc. Cluniacens. Benedictini, Societatis Iesu, Lateranen. &c. dummodò tamen proprijs institutis non sint contraria.

Cluniacenses obtinuerũt exemptionem à Clemente IV. vt notat Tamb. Disput. 15. quæs. 4.

Canonici Regulares Lateranenses in processionibus suarum Ecclesiarum, diebus solemnibus, baculum pastoralem extra easdem Ecclesias deferre possunt, ex speciali gratia Vrbani III. Præposito sanctæ Agathæ Cremonæ directo, vt notat Tamb. t. 1. Disput. 21. quæs. 3.

Priuilegia concessa à Iulio II. Congregationi sancti Saluatoris, limitata sunt, dummodo dictæ Congregationis institutis, & Constitutionibus non obstent.

Congregationi sancti Georgij in Alga, priuilegia cæteris Religionibus, & Ordinibus Mendicantibus concessa, & concedenda, communicauit Pius V. B. 92.

Congreg. Canonicorum sæcularium S. Io. Euangelistæ, sub babitu, & regula Congreg. prædicti S. Georgij in Alga, habet confirmationem suorum priuilegiorum à Clemente VIII. vt patet in Constitutionibus ipsorum.

In bulla 6. Gregorij XIV. pro Cisterciensibus Congregationis sancti Bernardi, explicitè nominantur etiam Conuersi, Confratres, Abbatissæ, & Moniales.

Eremitæ Camaldulenses participant omnia priuilegia quibuscumque Regularibus elargita, tam directè, quam per viam communicationis, ex Const. Greg. XIV. B. 18.

Pius V. const. 41. concessit, & communicauit Congregationibus Monachorum, & Regul. Canonicorum; omnia priuilegia Religionibus Mendicantibus concessa.

Ordo Præmonstratensis à Clem. VIII. accepit communicationem omnium Priuilegiorum concessorum Congreg. S. Bernardi Ord. Cisterc. vt in noua collectanea Bullarij Apostolici, pro Regul. t. 1. B. 20. eiusdem Clement.

Patres Societatis Iesu gaudent communicatione Priuilegiorum Mendicantium ex concessione Pij V. & Greg. XIII. sed cum limitatione dependentiæ ab ipsorum Patre Generali.

Congregatio Clericorum pauperum Matris Dei, Scholarum piarum, habent communicationem priuilegiorum Mendicantium ex const. V. Greg. XV.

Fratres S. Antonij Viennen. gaudent priuilegijs aliorum Ordinum, ex bulla præcipue 2. Clementis Septimi.

Gubernator Almæ Vrbis gaudet hoc priuilegio, quod non incurrit irregularitatem ob latam sententiam sanguinis, ex Leone X. const. 8.

Consecratio propriè dicta, est sacra Crismatis vnctio, benedictio verò est sacramentale quoddam, quo omnia felicia, & bo-

bona à Deo precantur. Inuenitur tamen frequenter apud Doctores, benedictio, & consecratio Abbatis, sed eorum benedictio stat largo modo, loco consecrationis. Ita aduertit Azorius cum alijs.

Quod possint Abbates consecrare calices, patenas, benedicere campanas, undecunque ad eos delatas, constat ex priuilegio Innocentij VIII. concesso Anno Domini 1489. *quod etiam docet communis praxis, & consuetudo.*

Quod Abbates regulares habeant vsum Mitræ, Baculi, Annuli, & cæterorum Pontificalium insignium, habetur ex cap. Vt Apostolicæ, de priuileg. in 6.

Papa non vtitur baculo pastorali, in memoriam præcipuè illius magni miraculi, scilicet quod S. *Martialis missus à B. Petro ad prædicandum in Germaniam; cum iret mortuus est, & redijt collega ad Petrum, & ei Petrus dixit: accipe baculum, & tangens eum dic, vt in nomine Domini surgat, & prædicet, & iuit, & 40. die à tempore mortis surrexit, & prædicauit, & sic translatus fuit Petri baculus. Ita refert Glossa, cum Rationali Diuinorum, & alijs.*

Innocentius VIII. anno Domini 1489. *vsum Pontificalium concessit etiam Priori-*

bus Canonicorum Regulariũ S. *Saluatoris.*

Prior Generalis Monachorum sancti Hieronymi, Pontificalibus insignijs ornatus est à Paulo V. anno Domini 1613.

In priuilegio Præmonstratensium specificatur modus vtendi annulo, scilicet continuè, & vbique, in diuinis tamen officijs, & competentibus locis.

Abbas potest exercere Pontificalia etiã in Ecclesijs, & Parochijs non sibi plenò iure subiectis, ex priuilegio Martini V. & aliorum Pontificum. Tamb. tom. 1. *Disput.* 21. *quæs.* 2.

Ecclesiæ tunc dicuntur pleno iure pertinere ad Monasteria, quando tam in his, quæ ad spiritualium, quam temporalium administrationem pertinent; sunt in cura, & potestate ipsorum Abbatum, & Monachorum, &c. vt in cap. Abbates in 6. *& Arch. & Ioan. And ibi addunt, quando etiam omnes obuentiones percipiunt.*

Abbati non licet mitram, & alia Pontificalia deferre, nisi in locis suæ iurisdictionis, & dignitatis. Quia Archiepiscopo probibetur, vt faciat Crucem in aliena prouincia ante se deferre. & Tamb. tom. 1. *Disputat.* 21. *quæs.* 3. *citat iura ad hoc deseruientia.*

Abbates tamen inuitati à Prælatis e-

xemptis in Monasteria exempta, vel inuitati ab alio Abbate, possunt in eorum Ecclesijs minores Ordines conferre; quia Episcopus ab alio Antistite inuitatus, hoc facere potest, Graff. par. 2. decis. aurearum lib. 1. cap. 10.

Item possunt Abbates in Ecclesia aliena celebrantes, vti benedictione Pontifisali, cum verbis: Sit nomen Domini benedictum, quia illa est potius Ordinis, quam iurisdictionis. per cap. cui licet. & ibi gloss. de regul. iuris in 6. & sic fuisse conclusum Neapoli coram aliquibus Prælatis; asserit Ricc. in praxi resol. 203.

Innocentius VIII. concessit Abbatibus, Prioribus, Vicarijs, & cuilibet habenti principale regimen cuiuscunque Monasterij Congreg. S. Iustina, posse benedicere corporalia, cæteraque vestimenta, & ornamenta ecclesiastica, tam sui Monasterij, quam vndecunque sint, & Decretum Sac. Congreg. de anno 1609. quo cauetur Abbates, & alios Prælatos non posse benedicere paramenta Ecclesiarum non sibi subiectarum: Tamb. tom. 1. disput. 22. quæst. 3. dicit se credere procedere circunspecta consuetudine. At vsus, & experientia est in fauorem consuetudinis, quæ est optima rerum magistra.

Calix, & patena tunc consecrationem amittunt, cum ita notabiliter franguntur, vt ad vsum præfixum deseruire nequeant, & cum deaurantur quo ad illam superficiem, quæ tangit corpus, & sanguinem Christi. Item consecratio Calicis amittitur per aliquos ictus, qui solent ab aurifice infici. Ita Armilla in verb. Calix Angelus in de Missa, Azorius, & alij.

Perpetuus censetur, qui deponi non potest ab officio, nisi certis de causis à iure concessis, Gloss. in clement. vnica, verb. per electionem, de rescript. Sed Abbates de iure communi deponi nequeunt, nisi certis de causis, ergo.

Communicatio non extenditur ad ea, quæ vel concedi non solent, vel magna cum difficultate concedantur; & in quibus agitur de præiudicio tertij, iuxta notata per Doctores, & Rotam, vt aduertit Tamb. tom. 1. disput. 15. quæst. 18. Ius tertij læditur cum præiudicatur illi, qui habet intentionem fundatam de iure communi, vel alias.

Nouale dicitur locus nouiter ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit. cap. quid per nouale, & ibi Gloss. & Doctores omnes. Ad hoc autem, quod de eo Religiosi decimas soluere non teneantur; requiritur quod ipsi Re-

si Religiosi proprijs manibus, vel sumptibus excolant, vel reduxerint ad culturam, alias cessat Priuilegium. Tamb. tom. 1. disput. 15. quaest. 18. affert, & citat textus, & Doctores de hoc.

Licet decimae dicantur esse de iure diuino, & inde fiat, vt ius decimarum intotum per Summum Pontificem tolli nequeat, quibusdam tamen personis remitti potest. Gloss. in cap. à nobis, in verb. exemptos, quam sequuntur ibi Ostien. Ioann. And. Panorm. & alij.

Quando priuilegium est obscurum, debet strictè interpretari, vt minus quam possit deroget iuri communi: ita in cap. cum dilectus, de consuet. vt si cum illegitimo dispensetur ad Ordines, intelligitur de Ordinibus minoribus, secundum Panorm. in cap. si quisquam de cohabit. cleric. & mulier. Siluest. & Armill. verb. priuilegium.

Si Praelatus, vel aliqua constitutio praeciperet rem parui momenti, & circa materiam leuem in virtute sanctae obedientiae, & in virtute Spiritus sancti, transgressio erit tantum venialis. Quia leuis materia non est capax obligationis sub mortali, etiam si Praelatus hoc intenderet, & quando etiam prohiberetur sub excommunica-

tio-

tione, non solum esset iniusta excommunicatio, sed etiam inualida. Quia non solum est contra Sacros Canones, sed supra potestatem Prælati, ita vt possit dici continere errorem intollerabilem. Lez. *tom.* 1. *cap.* 8.

Quod non possit Episcopus visitare personas sæculares exercentes curam animarum in Monasterijs, in quibus residet Generalis alicuius Ordinis, demonstrat Pater Ascanius in suo de iure Abb. tom. 1. *disput.* 15. *quæst.* 7. *ex declaratione S. Cong.*

Imperator, & Reges, & alij Principes sæculares nequeunt priuilegia Abbatibus, & Abbatijs, vel Religionibus, aut alijs Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis semel cõcessa, ab ijsque acceptata (regulariter loquendo) amplius reuocare. Dicitur regulariter, nam si tanta rerum permutatio superueniat, vt priuilegium huiusmodi censeatur grauiter perniciosum Regi, vel Regno; potest illud Princeps reuocare. Suarez de legibus l. 8. *cap.* 37. *& alij. & sciendum, quod priuilegium si à pluribus Põtificibus Principibusue sit confirmatum, difficilius censetur tolli. Geminatio enim manifestè monstrat Principis voluntatem.*

Si Clerici habitum deferentes, seruiant in diuinis, etiam si intentionem non habeãt

ma-

maiores ordines suscipiendi, nec manendi in habitu clericali, nihilominus dicuntur exempti ab oneribus, quia sunt verè clerici, & realiter, vt affirmat Durandus citatus à P. Tamb. tom. 1. disput. 15. quæst. 21.

In Appendice Constitutionum Pontificiarum D. Angeli Cherubini Cass. Ordinis habetur declaratio Vrbani VIII. edita anno Domini 1635. quod Constitutiones reuocatoriæ viuæ vocis oraculorum, non comprehendunt illos officiales, quibus ratione munerum suorum antea de summi Pontificis oraculo fides haberi solebat.

Priuilegia Regularium, Generales non solùm magistraliter, & doctrinaliter, verum etiam iuridicè interpretari possunt, ex concessione Iulij II. facta Generali Ordinis Prædicatorum, quando scilicet aliqua ambiguitas emerserit, pro serenitate illarum conscientiarum, quæ sibi subditæ sunt dumtaxat, cui interpretationi Religiosi stare tenentur. Prædictum tamen priuilegium non est in destructionem, sed in ædificationem, nec ad relaxandas, & confundendas, sed ad pacandas, & serenandas subditorum conscientias. Rod. tom. 1. quæst. Reg. art. 5. cum alijs.

Hic incidenter scias, quod non possunt Religiosi cuiuscumque Ordinis eligere sibi

bi confessorem aliquem, præter illum, vel illos, qui à suis Prælatis eorum confessionibus audiendis destinati sunt. Aut absolui à casibus prædictis Superioribus reseruatis, virtute bullæ Cruciatæ, *aut quorumcumque aliorum Indultorum, aut Priuilegiorum Religionibus concessorum, quia id expressè declaratum est à* Clemente *VIII. in Bulla Romani Pontificis anno* 1599. *&* *Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. anno* 1630. *prædictam constitutionem* Clementis *VIII. innouauit, vt habetur* 4. *tom. Bullarij inter bullas Vrbani.*

Officia, quæ habentur in Capitulis, *per canonicam electionem, &* Superioris *confirmationem, manualia non sunt. Tamb. tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.*15. *& idem Tamb. tom.* 1. *disput.* 19. *quæst.* 1. *affert plures Doctorescum iuribus approbantes, & asserentes, quod ea, quæ sunt Episcopalis Ordinis, per inferiorem non habentem illum Ordinem, consuetudine, & præscriptione acquiri non possunt.*

Abbates, & Prælatos non residentes in Ecclesijs, & Monasterijs, non arctari pœnis Concilij Tridentini contra Prælatos, & Episcopos positis, respondit S. Congregatio Cardinalium *nisi habeant curam animarũ sæcularium, quia de huiusmodi cura loquitur*

tur

tur Concilium, teste Lessio de iust. l.2.cap. 34. At Regulares Prælatos in administratione, & cura suorum subditorum relinquit proprijs statutis, & suorum Superiorum ordinationibus.

In dubio, interpretatio Priuilegiorum Regularium, an sit validum nec ne, spectat ad solum Pōtificem, & quamuis exempti, de suo exemptionis priuilegio requisiti, debeant illud Ordinarijs ostendere, intelligitur tamen non vt de illo iudicent, sed vt se informent, vt docet Panorm. in cap. venerabili, in fine, ex Innocentio ibidem. Vnde dubium si Papa potuerit aliquod priuilegium concedere; inferior Papa cognoscere, & iudicare non potest. Quia eius est interpretari actum, cuius est condere, seu actum facere. At dubium si priuilegium validum sit, vel surreptitium, inferior Iudex potest interpretari. Tamb. disput. 16. quæst.6. tom. 1.

Monachus efficitur per professionem, non per habitus assumptionem. cap. porrectum, de regular.


Leo X. Bulla 18. fecit communicationem inter Mendicantes, omnium priuilegiorum concessorum, & concedendorū, quod etiam currit, & dicendum est de non mendicantibus, & præsertim duodecim Congre-

gre-

gregationibus ex bull. Pij V. vt notat Tãb. disput. 17. quæs. 2. tom. 1.

In de Iure Abbatum tom. 1. disput. 24. quæs. 1. habetur, quod Abbates si essent Parochialium Rectores, tenerentur ad Synodum accedere. Et in disput. 25. eiusdem primi tom. quæs. 2. concluditur, quod Rectores Parochialium in proprijs Ecclesijs dicuntur Prælati, & in actibus curæ animarum repræsentant Episcopum, quia Episcopus est primus Rector, & Parochus.

Et Coadiutores *in Ecclesia deputari possunt ad exercendam curam animarum, decis. 309. par. 2. in nouissimis; Et vt curatus dicatur, debet exercere curam nomine suo, & non nomine alieno. Quia quemadmodum vna sponsa non potest duos, vel plures sponsos habere; ita in vna Ecclesia vnus debet esse sacerdos sponsus, & Rector, qui curam habeat. Decis. 52. par. 2. in nouissimis.*



DEO GRATIAS,
B. VIRGINI,
Sanctisque PP. Benedicto, &
Petro Cælestino.



ERRATA CORRIGE.

f.41	Concedere	concederet
49	trans	transit
57	statutum nõ valet,	statuta non valent
66	haberi non possunt	haberi possunt
79	petentiæ,	potentiæ
101	priuilegijs,	priuilegij
119	confirmatis,	confirmatio
129	craentur	creantur
173	competi	competit
181	subdictos,	supradictos
187	foinis,	feminis
188	insta	ista
189	gressionis	egressionis
191	Monasterio|manifesto	monasteria|manifesta
203	Concilio Trid.	Concilij Tridentini
207	ne licentia	de licentia

IN INDICE.

qui significet	quid significet
notare Religiosi	notatæ Religiosos
Ordinarijs	Ordinarij
exentionibus	exemptionibus.



